

LI. De synecdoche.

[1] Synecdoche secundum Vgutionem est figura quaedam cum quod partis est, toti attribuitur et econuerso. Et est color quidam rhetoricus qui appellatur intellectio. Haec autem est totius per partem uel partis per totum uel unius per plura uel plurium per unum cognitio. De qua per Ciceronem III^o *Ad Herennium*. Vel secundum *Catholicon* in 4^a parte sui operis (4, 127): Cum figura locutionis et constructionis sit, in quantum figura locutionis est, tropi est species. (2) Et est figura pleni intellectus capax, cum plus minusue pronunciat, aut enim totum a parte ostendit, ut *uerbum caro factum est*, id est filius dei factus est homo diuinitatem non relinquens, perfectus enim deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens. Item *eamus in naue uniuersae animae CLXXVI*, hic enim minus dicitur et plus significatur, autem econtra a toto pars, ut Ioannes XVIII, in fine, ibi (19, 42-43): «Propter parasceuen Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum». Et capitulo sequenti: «Tulerunt dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum», *dominum* Magdalenae dixit, cum domini corpus tantummodo quaerere, plus enim dicens minus significat. (3) Vnde Gregorius in *Omelia* dicit (25, 4): «Notandum iuxta historiam quia mulier non ait "Tulerunt corpus domini mei", sed "Tulerunt dominum meum". Vsus enim sacri eloquii est, ut aliquando ex parte totum, aliquando uero ex toto partem significet, ex parte enim totum significat. Sicut de Iacob filiis scriptum est, quia descendit Iacob in Aegyptum in animabus LII, neque enim in Aegyptum animae sine corporibus descenderunt per solem animam totus homo significatur, quia ex parte totum exprimitur. Et solum dominicum corpus in monumento iacuerat, et Maria non corpus domini sed sublatum dominum quaerebat, uidelicet ex toto designans partem». (4) In quantum uero sinecdoche figura constructionis est, totius ad partem partisue ad totum assignatio, et cum accusatiui regimine figuratiua constructio. Exemplum primi, ut *uir* uel *mulier claret* uel *splendet genus* uel *est clarus* uel *clara genus*; exemplum secundi, ut *ego sum albus capillos et faciem totumque corpus*, *tu es niger crines et oculos*, *ille est simus nasum*. (5) Et dicitur secundum Vgutionem, quem sequitur *Catholicon*, a *syn*, quod est *con*, et *odoche*, quod est captatio uel expectatio, quia per intellectum partis capitur uel expectatur totius intellectus, et econtrario. Meminisse autem debemus ut Donatus ait cum sit a parte totum, ab insigniori parte hoc faciendum esse. Synecdoche uero, Tortello teste, est figura cum a parte totum uel a toto pars intelligitur. A parte quidem totum, ut (Verg. *Aen.* 2, 256-57)

«Flammas cum regia pupis

Extulerat»,

id est regia nauis. A toto uero pars, ut (*Aen.* 6, 311-12)

«Quammultae glomerantur aues, ubi frigidus annus

Transpontum fugat»,

id est frigida hyems. Sed haec diffinitio potius ad synecdochen locutionis spectat, et secundum eum, prima cum *-y-* graeco, sequens cum *-e-* exili ante *-d-*, ultima cum *-ch-* aspirato scribi debet. Dicitur potest conceptio, a Cicerone uero in dignitatibus dicitur intellectio et hunc tanquam graecarum litterarum doctorem in hac scriptura sequendum studeo. (6) Huius figurae quattuor sunt species; quarum duae constructionis et aliae duae locutionis figuram construuntur. Prima species est quando id quod est partis toti cum regimine accusatiui attribuitur, ut *Sortes est albus pedem*. Secunda est quando id quod totius est cum regimine antedicto parti assignatur, ut *haec puella clara est genus*. Tertia species est quando id quod est partis toti sine regimine accusatiui adaptatur, ut *Sortes est Crispus* uel *Sortes est albus modo dentibus*. Quarta species est quando id quod est totius parti sine accusatiui regimine applicatur, ut *bonus uxoris animus mihi nuptus est*. (7) Sciendum autem omnem adiectiuum aliquam specialem proprietatem denotans accusatiuum partem totumue notantem potest regere, ut *Ioannes adultus aetatem iam canus capillos erat et est Catalanus gentem et Barcinonensi patriam*. Inde consequens est dicere quod male dicitur *Ioannes est aliqualis aetatem et capillos et est canus aliquid*. Synecdochen enim generalitas impedit. (8) Synecdochen tamen et per ablatiuum locum habet, ut *Ioannes canus capillis iam in aetate adulta fuit* uel *Ioannes adultus aetate iam canus capillis erat*. Sed tunc non est constructionis figura, quia nulla est in significandi modis improprietas, quae

tamen est in hoc quod pars totum denominat et econtrario. Et haec tot modis fit quot in accusatiuo fieri reperitur. Sicut enim grammaticae sed figuratiue dicitur *albus* uel *albet* uel *rumpitur* uel *ruptus dentes*, sic dici potest *albus* aut *albet* aut *rumpitur* aut *ruptus dentibus*. (9) Causa uero huius constructionis *albus dentibus* est quod haec improprietas, quae per adiectiuum importatur ab aliquo generatur, cum sit accidens, et sit in aliquo, et ideo ad substantiam habet dependentiam, a qua uel in qua est. Quare cum ablatiuus talem dicat habitudinem, cum ipso ueluti effectus cum sua causa debet talis improprietas ordinari. Et ob id ex ui causae uel effectus et non ex ui synecdoches tale regimen denominari debet, cum nulla in significandi modis sit improprietas. (10) Secus autem per accusatiuum constructio, nam dictio proprietatem significans attributam toti partem in accusatiuo positam ex ui Synecdoches regit. Qua quidem proprietatem parti conueniens nunc per nomen adiectiuum, nunc per uerbum, nunc per participium significari potest, ut *Ioannes canus* uel *canescit capillos* uel *redimitur* uel *redimitus corpus* uel *caput*. Hi uero accusatiui ex adiectiuis uel uerbis uel participiis ex ui synecdoches gubernantur. (11) Non nulli dicunt ex ui proprietatis ad partem uel ad proprium terminum dependentis, et utraque opinio diuersis respectibus stare potest. Illud unum est perspicuum partis proprietatem in exemplis antedictis denotare totum. Nec praetermittendum est uerba maxime passiuia per synecdochen accusatiuum regere, licet earum actiua duos diuersos accusatiuos non regat, ut *ego rador crines*, *tu auferris barbam*, *ille truncatur aures* et absoluta uerba per synecdochen accusatiuos quoque recipere, ut *iste nigret faciem*, *is albit dentes*, *idem caput uentremque dolet*. (12) Hoc autem quod Priscianus ait bene dici *Ioannes est albus colorem*, propter aptam resolutionem intelligere, licet albedo aliter de Ioanne, aliter de colore dicatur. Exponit enim Priscianus (18, 27): «*Ioannes est albus colorem*, id est habens colorem album». (13) Verum, ut antedicta melius cognoscantur, notandum est quid pars, quid totum, qui proprietatem appellatur. Pars est id quod totum constituit uel pars est integralis totius cum aliis partibus. Totum uero est quod ex partibus integratur uel quod ex partibus construitur, ut homo ex corpore animaue, et corpus hominibus ex capite, manibus, pedibus aliisque membris. Proprietatem duplex esse potest: essentialis, ut rationalitas animae, accidentalis, ut albedo, nigredo. Et cum utraque synecdoche constructionis fieri potest, ut homo rationalis animam, homo canus caput et albus dentes. (14) Notandum quoque partem quandam essentialem esse, ut caput uel manus uel pedes, quandam accidentalem, quae duplex est, et haec immediata, ut color. Est enim color pars accidentalis totius, quia sine ipso esse potest; altera mediata est, ut ensis aut uestis, et secundum omnes has partes haec synecdotica fieri potest constructio, ut *Ioannes canus caput*, *albus colorem*, *fractus ensem*, *scissus uestem*. (15) Siquis autem quaerat quae sit ratio, quod dictio proprietatem significans accusatiuum regat, responderi potest quod illa proprietatem, dum totum denominat, extra locum proprium collocatur. Proprietas namque pars est et ob id inclinationem naturalem ad partem habet. Cum igitur ad partem ut ad terminum dependeat, et accusatiuus in termini ratione se habeat, accusatiuum significantem partem et immediate regit. Vnde proprietatem haec quandoque parte, ut per quam habet esse, respicit, et sic cum accusatiuo construitur; quandoque ut in qua est, et sic ablatiuum reposcit. (16) Quare synecdoche est? Cum pars per toto ponitur et econtra, ut in Virgilio (*Aen.* 1, 114-115):

«Ingens a uertice pontus

In pupim ferit».

De utroque est exemplum. Totus enim *pontus* pro parte ponti surrogatur, et *pupis*, quae pars nauis est, pro tota nauis. Sed tunc synecdoche locutionis est; secus cum fit per accusatiuum constructio, ut *mulier alba faciem*, sed et hic figura locutionis esse potest, totum namque pro parte ponitur in eo quod per partis proprietatem denotetur.

[2] In hac autem figura, ut in ceteris, improprietas possibilitas necessitasque concurrunt. Improprietas ex translatione partis ad totum et econtra prouenit; possibilitas est partis cum toto conuenientia. Causa quare oportuit fieri, ornatus est, ut laus declaretur, quando pars sub totius nomine designatur, uel uituperium, ut si econuerso fiat. Vnde notandum quod si totum pro parte ponatur, minus quam sit in re profertur, sed tunc magis quando pars pro toto collocatur.

[3] Verumenimvero, ut omnia antedicta cum maximorum magistrorum auctoritate dicere uideamur, cum in hac arte, ut in iure, ratio potissima sit auctoritas, ad Prisciani Petri Heliae, aliorumque dicta descendam. Priscianus igitur, libro VIII^o, post principium, sic ait (8, 2): «Sunt quaedam quae significationis causa dici non debent, ut si uelimus masculinum dicere ab eo quod est nupta *nuptus*, uel a puerpera, *puerperus*. Oppugnat ipsa rerum natura propter significationem, quae solis accidit feminis, ni figura uel auctoritas intercedat. Figura, ut si dicam *bonus animus uxoris mihi nuptus est*, pro *bonum animum habens uxor mihi nupta est*. Auctoritas, ut Plautus in *Cassina* (859):

"Libet etiam nunquid agat scire nouum nuptum",
pro *maritum*». (2) Idem in eodem, post principium (Prisc. 8, 9), ubi de genere accusatiuo: «Quoque inueniuntur passiuia iungi, sed figurate, ut *abscedit manum, frangitur pedem, sanatur oculum, rumpitur aurem*». Idem in 2^o minoris, § *Accusatiuo nominatiui*, dicit (18, 27): «Accusatiuo nominatiui quoque figurate adiunguntur, quando quod parti accidit, hoc toti additur, et totum quidem per nominatiuum. Pars autem per accusatiuum profertur, ut *fortis dextram*, pro *fortem dextram habens, celer pedes*, pro *celeres pedes habens, sapiens animam*, pro *sapientem animam habens, albus colorem*, pro *album colorem habens*. Et in omnibus subaudiendum est *qui est albi coloris*. Sic etiam per pluralia, nam quicumque casus nominatiuo adiunguntur, etiam nominatiuo declinato, id est per obliquos inflexo, construi possunt».

[4] Petrus Heliae in eodem 8^o, super passiuorum constructione, cum accusatiuo dicit (Reilly 462): «Illud addit Priscianus, quod passiuia construuntur etiam figurate cum accusatiuo, quando scilicet per partem totum pati ostenditur, ut *rumpitur aurem*. Hic *rumpitur regit aurem*. Quandoquidem passiuum exigit accusatiuum, cum per partem pati totum ostenditur, et est figura sinecdoche. Est autem altera figura, secundum quam passiuum uerbum iungitur accusatiuo, quam in sequentibus pone. (2) Quando in passione intelligitur actio, ut *capellae pascuntur siluas*, in hac passione intelligitur hoc actio, scilicet quod rodunt siluas. Eodem modo dicitur *doceor grammaticam*, quia in illa passione intelligitur actio discernendi, et *doceor* regit *grammaticam*, quia passiuum construitur cum accusatiuo, cum in passione intelligitur actio». Idem Petrus Heliae in 2^o minoris, et expositor antiquus et modernus, in dicto VIII^o libro, eodemque 2^o perlegantur.

[5] *Doctrinale* quoque in capitulo VIII, in principio regiminis accusatiui (8, 1.235-37):

«Saepe quod est partis toti datur et regit illam.

Est ibi synecdoche, quando *faciem nigra, dentes*

Albet, nuda pedem, mulier redimita capillos».

Idem in regimine ablatiui (8, 1.311):

«Synecdochen iungas, ut *uultu uirgo decorat*».

Sed licet in accusatiui regimine eam synecdochen doceat, quae constructionis sit, tamen in ablatiui regimine, quae locutionis est, cum nec hic in significandi modis sit aliqua disproportionio. (2) Idem in capitulo XII^o, inter tropi species synecdochen ponit, ubi figuras locutionis tractat, sed exemplum synecdochen constructionis subiungit (12, 2.517-18):

«Si parte sumas pro toto uel uice uersa

Synecdochen facies, dicens *hic est caput albus*».

Sed ideo forte fecit ut daretur intelligi in synecdoche constructiones figuram quoque locutionis esse, non econtra. Sed plenius diceretur:

«Pontus ferit undique pupim» (cf. *Aen.* 1, 114-115),

hic enim *pontus* pro parte ponti et *pupis* pro nauis secundum antedicta sumeretur. Et in his locis *Doctrinalis* glosatores uideantur. Insuper *Catholicon* in 4^a parte, in capitulo *De tropo*, § *Synecdoche*, et infra, inter species allothetae, capitulo *De synecdoche*.

[6] Nec praetermittendum est quod Ciceronis, Quintiliani et historicorum auctoritate Laurentius Vallensis libro III^o, capitulo XIX, dicit: «Protinus admoniti simus oratores summopere synecdochen refugisse, quale foret *gentem stridore horrendam, hirtam corporibus*, et cetera. Historici non refugerunt, ut Salustius (*Cat.* 59, 4): "Ac ex altera parte C. Antonius pedibus aeger in proelio adesse nequibat". Cicero Quintilianusque dixissent *pedibus aegris*. Nec dixerunt *doleo caput, doleo ilia aut ilibus*, esset enim synecdoche, sed *dolet in caput et ilia tibi dolent*. In hoc uerbo et illud nondum est quod de re extra nos posita, sicut de corpore nostro, loquimur, ut *istud quod facis dolet mihi, utinam doleret tibi*, ut apud Terentium (*Eun.* 430):

"Dolet dictum adolescenti pudenti".

(2) Et libero. Quod nunquam per synecdochen dicere possumus. Nam *ego doleo istud quod fecisti* qui sermo ut superior apud auctores est frequens, ut Salustius (*Cat.* 40, 2): "Quasi dolens eius casum", non est synecdoche. Haec enim figura tantum ad animi et corporis qualitate pertinet, nihil ad externa respiciens. Ideoque illa synecdochica non erunt, *potens diuiciis, grauis pietate, praeditus dignitate*. Equidem haec in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo, refero, cum multis ex Prisciano adiunctis.

[7] Tandem Cicero III^o *Ad Herennium*, in exornatione *intellectio*, minime omittatur, qui sic eleganter ait (4, 44): «Intellectio est cum res tota de parua parte cognoscitur, aut de toto pars. De parte totum sic intelligitur: "Non ille te tibiae nuptiales eius matrimonii commonebant", nam hic omnis

sanctimonia nuptiarum uno signo tiliarum intelligitur. De toto pars, ut siquis ei qui uestitum aut ornatum sumptuosum ostendet, dicat: "Ostentas mihi diuicias et locupletes copias iactas". Ab uno plura hoc modo intelligantur: "Poeno fuit Hispanus auxilio, fuit immanis ille Transalpinus, in Italia quoque non nemo sensit idem togatus". A pluribus unum sic intelligitur: "Atrox calamitas pectora maerore pulsabat. Itaque anhelans eximiis pulmonibus per cura spiritus ducebatur". Nam in superioribus plures Hispani et Galli et togati, et hic unum pectus et unus pulmo intelligitur. Et erat illic diminutus numerus festiuitatis, hic adauctus grauitatis gratia».

LII. De allotheta generum, numerorum, personarum, temporum, modorum singulorum accidentium.

[1] Iam de Allotheta generum, numerorum, personarum, temporum, modorum singulorumque accidentium reliquum est dicere. Haec quidem allothetae quandoque sine euocatione et conceptione fit. Generum, ut in *Bucolicis* (3, 82):

«Dulce satis humor»,

et cetera, et (*Buc* 3, 80)

«Triste lupus stabulis»,

et Virgilius in VIII (*Aen.* 8, 561):

«Praeneste sub ipsa»,

ad urbis intellectum se referens. Terentius in prologo *Eunuchi* (1, 32):

«In eunucham suam»,

dixit, ad comedia pronomen *suam* reddens. (2) Et non nunquam eidem subiecto eadem adiectiua redduntur generum diuersorum, ut apud Ouidium (*Fast.* 4, 495):

«Est specus exesus structura pumicis asper

Non homini facilis non obeunda fere».

Aliquando fit sexus discerendi causa, ut

«Anser erat cuidam precioso germine feta»;

quandoque antiquitatis causa, ut *multus murmur erat in populo*; quandoque in relatiuis, ut *semini tuo, qui est Christus*. (3) Et haec quandoque non modo cum generis, sed et cum numeri fit disconuenientia, ut *pars militum robusti*. Nomen enim adiectiuum quandoque substantiuo non ratione uocis, id est modi per uocem expressi, sed propter secundarium intellectum coniungitur, ut *Doctrinale* dicit in nono et scribentes ibi.

[2] Allotheta numerorum est ut *iubilate deo omnis terra* et *alter alterius onera portate*, et *aperite aliquis*, et *uindictae fauete quisque suae* et Virgilius primo *Aeneidos* (1, 212):

«Pars in frustra secant ueribusque trementia figunt»,

ad rem, id est sensum seu sententiam uerbum plurale reddit, quippe cum pars Troianorum plures esse intelligantur in hoc loco. Salustius in *Catilinario* (56, 5): «Seruicia repudiabat cuius inicio magnae ad eum copiae concurrebant», cuius est singulare ad rem relatum, id est rei seruiciorum debet exponi. Item Terentius in *Eunucho* (1-3):

«Si quisquam est qui studeat placere bonis

quamplurimis et minime multis laedere,

in his poeta hoc nomen profitetur suum».

Hic enim *quisquam* de multis intelligitur, ut et *aliquis* in *Adelphis* (634):

«Aperite aliquis actutum».

(2) Sciendum autem quod licet numerus pro numero surrogetur, tamen quandoque ibi figura locutionis est, ut *Ioseph accusauit fratres de crimine pessimo*, id est fratrem. Item (Verg. *Aen.* 2, 20):

«Armato milite complent»,

id est armatis militibus. Et hoc syllepsis, quae species est scematis, secundum *Doctrinale* in XII^o capitulo, dicitur:

«Estque syllepsis, ubi pro multis ponitur unus

ut cum dicis *adest rex multo milite cinctus*».

(3) Exallage uero dici potest, ut *Catholicon* in 4^a parte, in capitulo *De coloribus rhetoricis*, § *Exallage*, placuit, sed hoc Papiam auctore. Dicit enim ibi: «Exallage est numerorum mutatio, scilicet quando pro numero plurali ponitur singularis, secundum Papiam. Et dicitur ab *ex*, quod est *extra*, et *alleon*, quod est *alienum*, et *logos*, quod est *sermo*, quasi extraneus et alienus sermo». (4) Et haec numerorum allotheta quandoque constructionis est, ut *populus currunt*, pro *currit*, et

«Pars in frustra secant»,
pro *secat*, et *populus hic labiis me honorabat, cor autem eorum longe est a me* Et Salustius, ubi supra: «Repudiabat seruicia, cuius inicio magnae ad eum copiae concurrebant», *cuius*, id est quorum, secundum docti *Catholicon* expositionem, licet Priscianus aliter, ut dictum est, exponat.

LIII. De nominibus collectiuis.

[1] Ad maiorem horum intelligentiam est sciendum quod nomen collectiuum est illud quod in singulari numero multitudinem significat, ut *populus, plebs, contio, turba*. Et, ut Priscianus, libro V^o, capitulo (5, 46), de numero disserit, nomina collectiua singularia uoce, sed pluralia intellectu sunt, quippe cum in singulari numero pluralibus conueniant. Item *populus* plura sunt, et non unum, licet modum significandi, ut unum habeat, et singularitatis discretionem faciat, et ut de uno intellectum constituat. (2) Itaque collectiuum nomen singularis numeri uoce et intellectu, id est intelligendi modo est, quamuis enim plura significet, id est simul appellet, tamen ea ut unum significat. Ideo propriissime dicitur *populus currit*. Improprie autem *populus currunt*, et per *synthosim*, id est concidentiam, quia non ad intellectum, sed ad ea, quae intelliguntur, ibi respectus habetur. Quod si uoueris ad res intellectas transsumere intellectum, licite dices, quod intellexeris congrue. Et ob transsumptionem talem hoc nomen *populus* ut plura significat, cum *populus currunt* dicitur. (3) Et sic facile dicto Prisciani responderetur quod collectiuum plurale intellectu sit, id est plura simul appellans uno singulari intellectu, propter quod dixit etiam quod est singulari uoce, quia in numeri singularis forma plura, ut unum significantur, et plura ut unum uno intellectu pariter apprehendi possunt. Illud autem certum est bene dici posse *populus albus currunt*. Potest enim adiectiuum recte ad eandem proprietatem trahi, quia numeri discretionem caret. Vnde bene dicitur *albus populus currunt*, quia pro uiris est dicendum *populus sunt albi*, pro feminis autem *populus sunt albae*. Adeo ut nullatenus dici possit *populus sunt albus*, quia uerbum iam nomen ad pluralitatem attraxerat. (4) Vnde si adiectiuum singulare sequatur, uerbum non bene substantiuo posito collectiue respondet. Cum ante uerbum dici posset *albus populus in hac urbe sunt*. Itidem de uocatiuis quod de substantiuis et de eorum uim habentibus dici potest, scilicet *populus hic labiis* et cetera; Salustius: «Repudiabat seruicia, cuius», et cetera. Relatiuum uero ad eandem improprietatem trahi potest, ut per anteriora exempla palam est.

[2] Si quaeres an bene dicatur, *gens, quae non nouit Christum, maledictae sunt*, responderem dici posse, et simile Ioanni VII^o, circa finem reperitur (7, 49): «Sed turba haec, quae non nouit legem, maledicti sunt».

[3] *Quid de ista populus, qui currit, disputant?* dic quod si iste terminus *qui currit* participii loco fungatur, ista congrua est locutio, sicut illa *populus currens* uel *Bononiensis* uel *albus disputant*. Sin autem pro coniunctione uerboque steterit, est incongrua, sicut ista *populus currit et disputant*, qui singulariter et pluraliter simul accipi non possunt.

[4] Ecclesia uero licet fidelium congregationem significet, nomen collectiuum dici nequit. Collectiuum enim diuersitatem sapit, sed ecclesia solummodo unitatem. Omnes enim fideles sunt quaedam membra charitatis coniuncta ligamine corpore in eodem, cuius caput Christus est. Et sic *ecclesia sunt* uel *ecclesia militant* dici non debent, ne in dei ecclesia diuersitas esse uideatur, quippe cum in unitate spirituali firmiter sit unita. (2) Sunt etiam collectiua quaedam quae distributionem habent, ut *utrumque* et *neutrum*. Nam omen distributiuum collectiuum est, sed non econuerso. Inde contingit quod huiusmodi collectiua quandoque cum uerbo singulari construntur, ut *omnis homo currit*, et *uterque istorum disputat*, et hoc fit proprie quandoque cum plurali uerbo per figuram, quae *synthosi* appellatur, et hoc in eadem persona, ut

«Vtraque formosae Paridi potuere uideri», (*Doctrinale* 9, 1.491; cf. *Ov. Rem. Am.* 711-12))
uel in sequentis persona genitiui, ut *uterque uestrum uocamini Scipiones* Hoc enim Priscianus ait, et sic bene dicitur *uterque nostrum legimus* Vnde Ouidius (*Her.* 5, 46):

«Miscuimus

Lacrimas maestus uterque suas».

(3) Idem in aliis collectiuis saepe contingit, ut *iubilate deo omnis terra*, et apud Oratium (?):

«Quisque ubique uiri
Faciles aduertite mentes»;

et in Apostolo (*Gal.* 6, 2): «Alter alterius onera portate», Apostolus distributive uoluit pro oneribus duobus intelligere. Similiter illud Terentii (*Andr.* 634):

«Aperite aliquis actutum»,

et illud quoque Lucani (?):

«Ausi sumus certare cum parentibus quaeque
Ciuitas suis».

LIV. De nominibus complexis.

[1] Cum autem complexiua similia collectiuis sint, eo quod in eodem numero tam pro uno quam pro pluribus accipi possint, quippiam de ipsis dicendum puto. Haec autem eo quod pro pluribus teneatur collectiuorum naturam habere uidentur, sed in eo quod pro uno ab eis discrepant. Et huiusmodi nomina imaginem epicaenorum¹ gerunt. Sicut enim epicaenum una uoce unoque articulo animalia sexus utriusque significat, ita nomina complexiua uoce una numeroque eodem tam pro uno supponunt quam pro pluribus, ut *aurum* et *nuptiae*. Ideoque proprie in utroque numero declinari non debent, quia in uno utriusque gerunt officium. (2) Quae uero inter haec uim magis unitiuam habent, in singulari numero potius declinantur, ut *puluis*, *sanguis*, *lutum*, *coenum*. Haec enim uehementer aggregationem habent. Similiter nomina metallorum uel seminum uel liquidorum ad mensuram pensumue pertinentium complexiua sunt, ut *aurum*, *argentum*, *ordeum*, *frumentum*, *uinum*, *oleum*, *mulsum* et *liquamen*. Quod si ad mensuram pensumque non pertineant, in utroque numero declinantur. *Aes* uero et *metallum* quandoque nomina sunt generalia, scilicet ad unumquocque metallum spectantia, quaeque de unoquoque praedicantur, saltem *aes* de unoquoque dicitur, unde denarii fierent, et dicitur ab aere, quia fulget in aere, unde uersus (?)

«Nil peius sit hera quae plurima possidet aera».

Et sic in utroque declinantur numero, multaeque nanque aeris et metallorum sunt species, quandoque sunt spatialia, ut *aes*, prout est quaedam metalli species. Et sic numero plurali carent, ut *aurum* et *ferrum*. (3) Complexiua uero quae tantum in plurali numero declinantur, se magis ad multitudinem habent, unde processit ut tantum declinarentur pluraliter, ut *nuptiae*, licet enim nuptiae unum possit esset connubium, duo tamen, ut masculus et femina, ad esse nuptiarum exiguntur. Similiter *quis armatus* non habetur, licet gladium unum habeat. Ideo *arma* numerum pluralem poscunt. *Kalendae* quoque, *Nonae*, *Idus* suam pluralitatis rationem tenent. Siquidem in mensis principio multi ad Kalendarum denunciationem uocabantur. *Nonae* sunt nundinarum principia, quae multitudinem mercium personarumque reposcunt. *Idus* sunt nundinarum diuisiones, ubi semper rerum personarumque pluralitas est necessaria. (4) *Scalae* sine graduum multitudine uel duorum lignorum aequalitate non fiunt; *tenebrae* luminis duorum oculorum priuationem inducunt, uel ad lucis illustrantis et rei quae illustratus priuationem respiciunt. Festorum nomina fere omnia rationabiliter apud antiquos solum numerum pluralem assumebant, ut *letaniae*, *-arum*, *azima*, *-orum*, *encenia*, *-orum*, quia multa ad festa celebranda requiruntur uel quia non tantum uno die sed pluribus digniora festa celebrantur. Plura tamen festa, quae nos colimus hoc tempore, singularia sunt plerumque, ut Natale, Epiphania, Pasca, Pentacoste³, quia unus deus, una fides, unum baptisma unitate magis quam pluralitate gaudent. De hac unitate, supra, libro III^o, regula 26, dixi plenissime (supra 4, 10, 1).

¹ *Glossa* *Epicaenum* cum *-i* latino et *-c* exili atque *-æ* diphtongo scribitur, latine promiscuum dicitur, nam componitur ab *epi* praepositione et *koinon*, quod est *commune*. Tortellus.

² *Glossa*: *Letania*, *-ae*, id est rogatio uel inuocatio proprie pro mortuis facta, et dicitur a *laetum*, *-ti*, secundum Hugutionem; proprie acuit penultimam. Papius dicit: «*Lataniae* graece dicuntur *rogationes*, latine quae propter rogandum deum et impetrandum inducuntur». *Catholicon* haec refert. Tu notes C. *Rogationes de conse. di. III*, textus enim dicit ibi: «Rogationes, id est letanias ante ascensionem dominum placuit celebrari», et ibi dicit Hugutio: «*Letaniae* supplicatio rogatioque dicuntur». Ioannes Raimundus Ferrarii.

³ *Glossa* *Pentacoste* absque aliqua aspiratione scribitur, deriuatum a *penticon*, quae sunt quinquaginta, et *penticon*, quinquagenaria, facitque in genitiuo *huius pentacostes*. Tortellus.

[2] Et quoque librorum nomina saepe in plurali tantummodo declinantur, ut *Isagogae*⁴, *Decretales*, *Decreta*, *Topica*⁶, *Rhetorica*, *Anantiae*⁷, *Techni*⁸, *Pantechin*, quamuis haec duo postrema sunt indeclinabilia, licet enim liber in formitate materiae sit unum, tamen in distinctionibus uarietatibusque sententiarum sapit multitudinem. Et ita de omnibus complexius, quare tantum sint singulari uel pluralia, ratio potest assignari.

[3] Quaeritur ergo an congrue diceretur *unum sunt* uel *aurum sunt*, sicut dicitur *populus sunt* et econtra, *nuptiae est* et *arma portatur*, ut *connubium est*, *gladiusque portatur*. Breuiter dic congrue dici non posse, licet enim complexiua de uno multisque dici possint, ut *uinum* de uino, quod est unum, et de uino, quod est plura, et naturam epicaenorum suscipiant, et Gregorius (=Salimbane de Adam, *Cronica*, ed. G. Scalia, p. 382) dicat «Mulier est uetus arma diaboli», ut se loqui de armis, quae unum erant, ostenderet. (2) Tamen complexiua multum a collectiuis distant et diuersam naturam habent. Siquidem nulla complexiua uerbo alterius numeri, quam ipsa sint, possunt superpositum reddere. Vnde male dicitur omino *uinum sunt* uel *frumentum sunt*, sicut *homo sunt*. Et complexiua singularis numeri uim magis unitiuam suscipiunt, uel ratione mensurae, ut *uinum*, uel pensionis, ut *aurum*, uel commixtionis, ut *puluis*. (3) In mensuratis enim et pensis quantitas discreta et continua equipollent, quia ex uno uino multa uina possunt effici et econtra. In talibus enim discreta quantitas continuaque confunditur, unde cuiquam interroganti *quam dedisti?* responderi potest *unam mardam* seu *libram* uel *uiginti solidos*, et sic inter discretam continuamque quantitatem in pensis mensuratisque fit equipollentia, sed continua magis quam discreta sunt naturalia, quia continua quantitas est a natura, discreta uero a ratione magis. (4) Sed ratio natura est posterior, quandoquidem ratio imitatur eam, ergo quaecumque complexiua ad pensum uel mensuram spectant, potius unitatem quam multitudinem respiciunt, nam principalis ratio de quantitate continua, quae uere una est, habetur. Non ita in collectiuis fit, unitas enim in eis multitudinem actuaalem non aufert. Inde fit perspicuum male dici *uinum sunt*, *frumentum sunt*, etsi pro

⁴ *Glossa*: *Isagogae* cum *-i-* latino et unico *-s-* scribitur, quanquam in inicio sit *-ei-* diphtongus apud Graecos, sed a nostris, abiecto *-e-*, retinetur *-i-* longa. Et dici potest *introductio*, nam componitur ex *eis*, quod est *in*, et *gogo*, *duco*, unde *gogon*, *ductio*. Tortellus.

⁵ *Glossa*, *Decreta*: A *decerno*, *-is*, secundum *Catholicum* dicitur *decretus*, *-a*, *-um*. Et hoc decretum, *-ti*, statutum patrum, diffinitum iudicium. Vnde *hi et hae Decretales* et hoc *Decretale*. Et ista dicta sunt decretalia, quae in *Decretis* continentur, et pluraliter *haec Decreta* pro libro in quo continentur decreta. Inuenitur etiam *haec Decretalis*, *-lis* ut in tali *Decretali* sic dicitur. Item *decretus*, *-a*, *-um*, inuenitur a *decreo*, *-is*, *decreui*, et potest esse ibi deaugmentatum uel priuatiuum, unde scias quod *decretum* semper duorum uerborum est, scilicet *decreo*, *-is*, et *decerno*, et *decreui* est eorum praeteritum. De his et canone, dogmate, mandato, interdicto et sanctione, uide in *Decretis*, di. III, per totum, et glosam Summe, et XIX di. in Summa (cf. Grat. 3).

⁶ *Glossa*: *Topicus* secundum *Catholicum*: «A *topos*, quod est *locus*, dicitur; *topicus*, *-a*, *-um*, id est localis, et *haec topica*, *-cae* et pluraliter *haec Topica*, *-orum* pro quodam libro, ubi de locis agitur, nam *topica*, *-cae*, scientiam significat. Item *topos* uel *ton* dicitur *totum*, unde *topicus*, *-ca*, *-cum*, id est totalis. Vnde et liber antedictus *Topica* dici potest, quia ibi de totis uel de locis omnibus inuenitur, penultima corripitur». Vnde Tortellus ait: «Toparchia cum *-t-* exili, antepenultima cum *-ch-* aspirato, dici potest *loci principatus*, nam *topos locus* est, et *archia principatus*. *Topothesia*, prima cum *-t-* exili, antepenultima cum *-th-* aspirato scribitur, dici potest *loci positio* uel *descriptio*, nam *topos*, *locus* et *thesis positio* dicitur, et rei uerae a poetis et historicis fieri conuenit, licet non nunquam abutantur, ut Virgilius in primo *Aeneidos* (1, 159): "Portum in scessum longo apud Africam descripsit", qui, teste Seruio, non illaec, sed apud Hispaniam Karthaginem habetur».

⁷ *Glossa*: *Anantiae* secundum *Catholicum* sunt capilli a fronte dependentes quasi anciae, ab *ante* uel *ana*, quod est *sursum*, et *oto* uel *otis*, quod est *auris*, quia super aurem a fronte, quae superior est aure, dependent.

⁸ *Glossa*: *Techna*, *-ae* cum *-t-* exili et *-ch-* aspirato scribitur. Dicitur apud nostros *ars*. Terentius: «Quam scio hanc esse technan Parmenonis», et inde *technicus*, artifex, secundum Tortellum, sed *Catholicum* scribit per *-g-*, dicens: «*Tegna*, *-ae*, a *tego*, *-is*, dolus, fraus, deceptio, inde *tegnosus*, *-a*, *-um*, fraudulentus, deceptorius, dolosus»; et comparatur tu potius in scribendo Tortello, sed in significando illi significato *Catholicum* adiice, nisi artem non modo pro doctrina, sed etiam pro deceptione dolo fraudeque acceperis. Ioannes Raimundus Ferrarii.

multis fiat suppositio. Vnitas enim mensurae uel pensi talibus praeponantur in omnibus. Et ita de pipere uel frumento, quamuis in eo partes discretas sint, fieri non potest obiectio.

LV. De confusis et permixtis.

[1] De confusis et permixtis dicas, sicut de his, quae per naturam densa uel confusa sunt, ut *puluis, lutum, coenum*, quia in talibus densitati equipollet confusio, et ita singularitatem habent, quae uerbum plurale non recipit. De complexiuis pluralis numeri dic se magis ad multitudinem habere respectum. Itaque uerbo singularis numero nullatenus possunt supponere. Epicaenorum natura uaria a complexiuis est. In illis enim communitas est in genere, in his autem in numero non potest. Epicaenum enim se ad masculinum et femininum habet, non autem complexiuum ad singulare uel plurale in eadem uoce, quamuis pro uno multisque supponat. Tandem Gregorius sua auctoritate usus est figurateque locutus.

LVI. De superlatiuis quoad generum et numerorum aliothetam.

[1] De hic collectiuis complexiuisque *Catholicon* in 3^a parte, capitulo *De collectiuis et complexiuis*, plene docet, quod in capitulo *De superlatiuis* quantum ad generum numerorumque aliothetam non nulla praeclara dicit, praemittens quod superlatiuum quandoque superlatiue et partitiue accipitur, et tunc incongrue dicitur *Ioannes est asinorum fortissimus*, id est ualde fortis de numero asinorum; quandoque superlatiue et non partitiue, tunc congrue dicitur *Sortes est fortissimus asinorum*, id est ualde fortis super asinos. Deinde superlatiua cum sequentibus genitiuis in genere concordare possunt, ut *homo est creaturarum dignissima*. Sed et discordare possunt, unde Oratius (Serm. 1, 9, 4):

«Quid agit dulcissime rerum».

(2) Sciendum autem superlatiua uere adiectiua esse, quia a nominibus adiectiuis procreantur, et ideo in tribus, scilicet numero, genere casuque, concordare debent. Vnde bene dicitur *margarita est lapidum albissima*. Item superlatiua quandam naturam partitionis habent, ideo cum sequenti genitiuo concordare ualent. Vnde bene profertur *margarita est pulcherrima* uel *pulcherrimus lapidum*, sed cetera partitiua uera adiectiua non sunt. Et ideo tantum concordare in genere cum genitiuo sequenti, sed non discordare debent, et ita male profero *caelum est unum rerum*, sed *una rerum* dicam.

LVII. De partitiuis.

[1] Enimvero cum de partitiuis fecerim mentionem, adiciendum est quod partitiuum cum genitiuo in genere, in quem fit partitio, concordare debet, et genitiuus ille utrunque numerum recipitur, ut *aliquis hominum currit* uel *aliquis hominum currunt*. Secus est si genitiuus ille a nomine tantum pluraliter declinatio ueniat. Tunc enim tantummodo numerum pluralem admittit, ut *nuptiarum aliae bonae, aliae malae*, sed *nuptiarum alia bona, alia mala*, profertur incongrue. Insuper si in nominis partitiui singularis numeri genitiuo fiat partitio, genus a rebus suppositis, et non a genitiuo trahitur, unde si pro mare fiat partitio, generis masculini erit, ut *unus huius populi* uel *plebis est Ioannes*. Sin autem fiat pro femina, erit generis feminini, ut *una huius populi est Ioanna*. Quod si pro re insexato partitio facta fuerit, generis neutri erit, ut *huius acerui aliud ferrum, aliud lapis*. (2) Posthac cum partitiuum nomini coniungitur etheroclitio, genus, quod ibi est, debet respicere, quia ad res per genitiuum suppositas secundum genus quod accidit genitiuo comparisonem habet, ut *unus caelorum, una epularum*, et non *unum caelorum, non unum epularum*. Non tamen inde sequitur *unus caelus, una epula*, genus enim plurale est fortius singulari. (3) Sciendum autem partitiuum quinque modis respicere genitiuum: quandoque sine alicuius accidentis discretionem, ut *ubique terrarum*; quandoque cum generis discretionem et numeri, sicut in complexiuis, ut *nuptiarum aliae sunt unum, aliae plura*, non enim bene diceretur *nuptiarum alia est haec, alia illud*; quandoque trahit genus a re supposita, ut *huius populi alius Ioannes, alius Petrus*, et hoc pro masculis, pro feminis autem *alia Maria, alia Ceterina*; quando uero genus aliquod non subest, in neutro genere sumi debet, ut *huius acerui aliud est lignum, aliud est lapis*; quandoque nomen extra sumptum respicit, ut *ualde mane una sabbatorum*, ibi nanque ad hac nomen *dies* subintellectum respectus est habendus; quandoque tenuis fit partitio, ut *hoc regni, hoc animi*. De hic *Catholicon*, non modo in capitulo *De superlatiuis*, ubi multa de partitiuis docet, sed et in capitulo *De nominibus etheroclitis*, sub tractatu de genere quoad partitiua disserit.

LVIII. De etheroclitis.

[1] In hoc autem capitulo *De etheroclitis* quaerit unde in generibus etheroclitis seu irregularitas prouenit, ut *hoc caelum* et *hi caeli*, et *hoc epulum* et *hae epulae*, et *hic infernus* et *haec inferna*, dicatur. Et soluit quod a diuersorum usum auctoritate, et non sine ratione forsitan. Videtur enim quod etheroclitis semper significationem immutat, ut *hoc caelum* et *hi caeli*, sed *caelum* pro continente, *caeli* pro his quae continentur in eo, ut *caeli enarrant gloriam eius*. Et *hoc epulum* pro corporali, sed *epulae, -arum* pro spirituali, scilicet pro refectione scientiae uel uirtutis. Vnde Plato in *Thimaeo* (?): «Venistis ad epulas». (2) Et *hic locus* proprie quantitas est circumscribens corpus, sed *loca-orum* proprie de his dicuntur in quibus possessiones habentur, *hi loci* pro locis dialecticis. Et *hoc pelagus* est alta nimis aquarum profunditas, sed *hi pelagi, -orum* ad aquae profundae certitudinem restringitur. *Haec carbasus* uestis sinuosa quae tam uiro quam mulieri conuenire potest, sed *carbasa, -orum* ad uela nauium pertinet. *Hic infernus* pro loco omnium poenarum Gehennali, sed *inferna, -orum* pro particularium poenarum locis. *Hic sibilus* est hominum, sed *sibila* serpentum. *Haec topica, -cae* pro scientia, sed *Topica, -orum* pro libro. Idem de *Rhetoria, Aethica, Aeconomia, Politica, Physica* et similibus est dicendum. Nam *haec rhetorica, -cae* est scientia, sed *Rhetorici, -orum* liber. De aliis est itidem. (3) Item *haec Menalus* pro totali monte, sed *Menala, -orum* pro appendiciis collibusque ipsius eique adiacentibus. *Haec Pergamus* pro ciuitate, sed *pergama, -orum*⁹ pro aedificiis suis. *Hoc porrum* pro maioribus, *hi porri* pro minoribus; *hi freni* per se, *frena, -orum* cum suo apparatu; *hoc rastrum* pro una specie lignonum, sed *rastri, rastrorum* pro omnibus lignonum speciebus. Et diligens perscrutator huiusmodi differentias in etheroclitis poterit inuenire, saepe tamen hae proprietates ab auctoribus non seruantur. (4) Deinde quaerit an *unus caelorum*, an *unum caelorum* sit dicendum, et concludit ut supra, uidelicet *unus caelorum* et *una epularum* et non *unum caelorum* nec *unum epularum* esse dicendum, nec tamen sequitur *unus caelus* uel *una epula*, cum genus plurale fortius singulari sit. Genus autem genitiui considerari debet. Nomen enim partitiuum ad res per genitiuum suppositas, sed genus ipsi genitiuo contingens comparatur. In genitiuo autem nominis collectiui fieri potest partitio, ita quod genus a rebus suppositis contrahatur, unde recte dicitur *unus huius populi est Alfonsus, unus istius populi est Eulalia*.

LIX. De allotheta casuum.

[1] Plene de generum et numerorum diximus allotheta, iam ad casuum allotheta est migrandum. Casus igitur pro casu tam a Latinis quam a Graecis saepissime ponitur figurate, Terentius in *Andria* (745):

«O dii immortales quid turbae est apud forum?»

pro *quae turba* uel *quanta turba*.

«Quid illic hominum litigat?» (ibid. 853),

pro *quot homines*. Idem in eadem:

«Ex Andro commigrauit huic uiciniae» (ibid. 70),

pro *in hanc uiciniam*.

«Quas credis esse, hae non sunt uerae nuptiae» (ibid. 47).

Idem in eadem (?):

«Quid mei faciam?»,

pro *quid de me*. Idem in *Eunucho* (873):

⁹ *Glossa*: *Pergama* secundum *Catholicon* in V^a parte, aedificia sunt Troiana, a *pir*, quod est *ignis*, et *gamos*, quod est *mulier*, quia per ignem et mulierem sunt destructa. Vel componitur a *per* et *gamos*, unde *Pergameus, -a, -um*, id est Troianus. Et quia *pergama* erant altissima iam omnia alta aedificia *pergama* uocabantur. Et corripit penultimam. *Pergamenum, -ni*, penultima producta, id est carta, dictum a *Pergama* ciuitate, quia ibi primo excogitatum fuit et inuentum. Et *pergamenus, -a, -um*, et *hi* et *haec pergamensis*.» Haec in *Compraensorio* confirmantur, sed nihil nec in *Alfonsina* nec in *Tortello* repperi. Sed apud Laurentium Vallensem, libro III^o, capitulo LXXXVI^o, et apud meum *Elegantiarum breuiarium*, eodem libro et capitulo, est: «Pergamum, ex qua *pergameni* in Asia, a qua urbe, quia ob penuriam cartae ab Attalo rege missa est membranarum copia, *membranae pergmanceae* sunt nominatae. In Asia prouincia intelligo, nam in ea que est tertia pars orbis, regio est quaedam eodem nomine, quam *Turchiam* nunc uocant, quemadmodum in Africa, quae et ipse tertia pars orbis dicitur, est regio eiusdem nominis, nisi Afros dicimus homines, non autem Africam regionem». Ioannes Raimundus Ferrarii.

«Quid illo faciemus stulta?»,

pro *illi*. Idem in *Phormione* (154):

«Cum eius aduenti mihi uenit in mentem»,

aduenti genitiuum pro *aduentus* nominatiuo posuit. Cicero *Ad Herennium*, libro I^o, ibi (1, 6): «Ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit», *quid* pro *in aliquo* surrogauit. Salustius in *Catilinario* (36, 2):

«Praeter rerum capitalium condemnatis», pro *condemnatos* Virgilius in primo (*Aen.* 1, 789):

«Tu mihi quocunq; hoc regni, tu scepra Iouemque
Concilias»,

hoc regni per *hoc regnum*. Vnde *Doctrinale* XII^o dicit capitulo (12, 2.404):

«Confundit casus, numeros, genus allotheta».

(2) Item et accusatiuus pro nominatiuo ponitur, quando idem in utroque casu denotatur, ut *sermonem, quem uos audistis, patris habetur*, et Virgilius in primo (*Aen.* 1, 573):

«Vrbem quam statuo uestra est; subducite naues»,

pro *urbs quam statuo uestra est*. Vnde *Doctrinale* in IX (9, 1.453-56):

«Saepe relatiuo conformari reperitur
Praecedens, illi cum praesidet immediate
Sermonem, quem uos audistis, patris habetur».

Vsus communi tamen hoc non debet haberi».

Hic enim Alexander per modum doctrinae dicit quando antecedens suo relatiuo praesidet immediate, quandoque ei in casu simili coniungitur, licet supple debeat in diuerso et plerunq; coniungi, tamen talis non seruanda nobis est relatio, ut in exemplis praelibatis, ubi constructiones figuratiuae sunt et impropriae. (3) Accusatiuus enim pro nominatiuo collocatur, et hic quoque illa tria consueta sunt: improprietas, quae de se patet; possibilitas, cum nominatiuus et accusatiuus realiter idem significant, ideo unus pro alio poni potest; et necessitas, quae in sententiae expressione consistit, ut maior inter antecedens et relatiuum identitas notaretur, ut *sermonem, quem uos audistis, patris habetur*. Sic enim palam fit quod sermones dei patris et filii idem essent, et Christus in eodem casu posuit, ne propter accidentium diuersitatem, aliqua uarietas inter patrem et filium uideretur. (4) In illa uero Virgiliti locutione (*Aen.* 1, 573):

«Vrbem quam statuo uestra est»,

fuit necessitas, quia nondum erat completa ciuitas nec perfecta, sed erat in fieri. Et accusatiuus termini modum in quem dicit, ideo accusatiuum pro nominatiuo posuit. Hic autem cum accusatiuus pro nominatiuo ponatur, a uerbo personali habetur, uel est a parte ante regitur, sed figuratiue et improprie, nam proprie esset impossibile, et talis constructionis causa est, quia accusatiuus supponens loco nominatiui surrogatur. Haec autem uera sunt, quando inter antecedens et relatiuum non est medium, secus enim nullatenus stare posset. (5) Nec modo in antedictis casus pro casu ponitur, sed et apud Terentium in *Eunucho* (486-87):

«Apparet hunc seruum esse deum pauperis
Miserique»,

pro *hi seruus apparet*. Et Cicero in *Verrinis* (2, 5, 37): «Nam mihi ita deos uelim propicios, ut cum mihi illius temporis ueniat in mentem, non solum animo sed et toto corpore perhorresco», *illius temporis* pro *illud tempus* Idem in 2^o *Verrinarum* (1, 1, 51): «Fac tibi anciliae legis ueniat in mentem», pro *ancilia lex*. Virgilius III^o *Georgicorum* (1, 208):

«Libra die somnique pares, ubi fecerit horas»,

pro *diei*. Idem primo *Aeneidas* (1, 257-58):

«Parce metu Citharea, manent immota
Facta tibi»,

pro *metui*.

LX. De allotheta temporum.

[1] Temporum uero allotheta est temporis pro tempore positio, et quandoque in locutione, quandoque in constructione fit: in locutione quando tempus pro tempore ponitur simpliciter, ut in principio 3 *Aeneidas* (cf. 3, 3-5):

«Fumat et agimur»,

pro *fumauit et acti sumus*. Et idem in principio 4 (*Aen.* 4, 2):

«Alit et carpitur»,

pro *alebat et carpebat*. Et *ille regit currus nondum annis X* id est *rexit*. Non enim modo poetae, sed et prosarum scriptores frequenter utuntur, sed uiceuersa raro. Vide Priscianum primo minoris, § *Illud tamen de allotheta*, uersiculo *Diuersa tempora* (17, 163). (2) Nam et hoc saepe in scriptura sacra reperitur, ut *Doctrinale* dicit in XII (12, 2.404):

«Haec allotheta quandoque in constructione fit,
Vt cum unius temporis dictio ad alterius temporis
Determinationem uenit, ut *antequam Abraam*
Fieret, ego sum, et illud dat ueniam somnumque
Dies cras, nato Caesare, festus»,

id est dabit, ut *Catholicon* in 4^a parte, capitulo *De allotheta numerorum* ait (4, 117).

LXI. De allotheta modorum.

[1] Vbi subiicit: «Allotheta modorum est quando modus pro modo surrogatur, ut *ire* pro *ibat*, et *non furtuo facies* pro *facito*, et *miserere mei deus*, pro *miserereis*. Et quando uerbum confuse significat, ut *iste ieiunat in XL* et *iste equus bene currit*.

[2] Ad hoc plenius habendum uide Priscianum in 8^o, § *Sciendum tamen quod frequentissime iste modus pro optatiuo ponitur uel deprecatiuo*, et copiosius in 2^o minoris, circa medium, § *Itaque apud Graecos*, uersiculo *Cum etiam alios modos*, et in eodem 2^o, ubi de imperatiuis docet, § *Illud autem*, uersiculo *Optatiua*, cum multis aliis uersiculis sequentibus. Hos textus, supra, libro 2^o, ante finem, ad uerbum reperies (supra 2, 42, 5).

[3] Quod autem tempus pro tempore collocetur etiamque amene, Laurentius Vallensis, libro III^o, capitulo III^o, scilicet amene tempus aliquando pro tempore ponitur, scite sic inquit: «Hannibal apud T. Liuium (21, 43) alloquens milites inquit: "Sed tales animos in paruo habebitis, quies hic ostenditis, uicimus. Quintilianus (*Decl.* 3, 7): "Si tales milites omnes habemus, Marium uicimus". Cur de futuro non per uerbum futuri temporis locutus est? Nempe ad asseuerandam rem, ut non futura, sed iam esse uideatur, multoque plus ponderis habet, ut dicamus *uicimus* quam *uincemus*. Idem Quintilianus (*Decl.* 10, 19): "Dimitte tantum et euocasti", id est *euocaueris*. Cicero *Pro Sextio* (45): "Restitisses, repugnasses, mortem pugna oppetisses", pro eo quod est *resistere*, *repugnare*, *mortem pugna oppetere debuisses*. Ouidius IIII^o *Metamorphoseos* (5, 25):

"Praemiaque eripies",

et cetera, ibi: *petisses*, id est *petere debuisses*. Terentius in *Andria* (793):

"Praediceres",

pro eo quod est *praedicere debebas*. Plinius Iunior (1, 12, 8): "Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat", id est *si dedisses*. apud Quintilianum saepe est hic modus loquendi, quale est illud (*Decl.* 6, 6): "Si perseuerassem, duos excaecaueram", pro *excaecassem*. (2) Apud Ciceronem (*Phil.* 1, 4) quiddam pene contrarium, ut ibi: "Dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisse", pro *fuerat*. Nam de imperfecto subiunctiui, quod pro imperfecto indicatiui poni solet, in proximo libro dictum est, ut Cicero *De re publica*, libro VI (6, 10): "Et quod de uia fessus essem et ad multam noctem uigilassem", pro *fessus eram* et *uigilaueram*. Et haec in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo inuenies.

LXII. De allotheta personarum.

[1] Allotheta personarum est quando diuersae personae coeunt. Terentius in *Andria* (310):

«Tu si hic esses, aliter sentias»,

ubi *sese* ostendens *ego*que intelligens *hic* dixit. Idem in *Phormione* (88):

«Nam ego meorum sum meus»;

Virgilius in principio *Aeneidos* (pr. 1, 1):

«Ille ego qui quondam gracili modulatus auena».

Et infra (*Aen.* 2, 434-35):

«Diuellimur inde

Yphilus et Pelias mecum».

Et infra (*Aen.* 2, 5):

«Quaeque ipsa miserrima uidi».
Persius (5, 88):
«Postquam meus a praetore recessi».

LXIII. De allotheta per omnia unicuique partium orationis accidentia.

[1] Nec modo per genera, numeros, casus, tempora, modos, personas, allotheta fit., ut diximus, sed et per omnia unicuique partium orationis accidentia, ut per species et figuras uideri potest. Adeo ut omnis alienatio accidentium et officii et significationis secundum Priscianum (17, 155) allotheta censeatur. Et *Catholicon*, ubi supra refert, unde aliae quoque orationis partes pro aliis collocantur, ut nomen pro aduerbio, ut *sublime uolat*, pro *sublimiter*, et *sole recens*, pro *recenter*. Econtraque pro nomine aduerbium, ut

«Vnde genus Latinum» (Verg. *Aen.* 1, 6),
pro *ex qua*, et *cur* pro *propter quid*, et *iuste ueraque* pro *iusto* et *uero*, et *satis* pro *sufficiens*, et *neesse* pro *necessarium*.

[2] Item praepositionem est quando abundant, est quando deficiunt, est quando aliae pro aliis collocantur. Id quod et de coniunctionibus dici potest.

[3] Demum aduerbiorum quaedam cum supradictis omnibus accidentibus, ut generibus, numeris, casibus, temporibus, modis et personis indifferenter construuntur, ut *non, bene, male, recte*. Alia sunt, quae omnibus copulari non possunt, ut *o* et *heus*, quando uocatiua sunt, nam soli uocatiuo copulantur, ut alia accusatiuo soli, ut *pone tribunal ultra fines*. Alia ablatiui ut *coram iudicibus*. Aduerbia sunt quae uariis personis non competunt, ut *eia*. Virgilius III^o *Aeneidos* (4, 569):

«Eia, rumpe moram uarium et mutabile semper
Feminam».

Ad secundam enim solam personam applicatur. Sunt quae diuersis temporibus adiici nequeunt, ut *heri feci, nunc facio, cras faciam*. Sunt quae per omnes numeros, tempora et personas modis singulis sociantur, ut *utinam optatiuis*, et *cum* subiunctiuis.

[4] Coniunctio quoque cum omnibus supradictis, id est generibus, numeris, casibus, temporibus, modis et personis inuenitur copulari, ut *Iesus et Maria, Iesu et Mariae apostolorumque; amo et amauit et amabo; ego et tu et ille; si studeo, si studeam, si studebam, si studerem; cum feci, cum feceram, cum fecissem, cum fecerem*.

LXIV. De uariis allothetae generibus.

[1] De his uariis allothetae generibus Priscianus primo minoris, § *Illud tamen* de allotheta, tractat plenissime, quae supra, libro 3^o, inter Salustii exempla, § *Cum autem hic Salustius* usque ad § *Salustius igitur*, ad uerbum scripsi. Et uide quae super allothetam in eo loco Petrus Heliae et expositor antiquus et modernus exponunt, et *Doctrinale* in IX^o canit, et ibi glosatores commentatoresque declarant, iunctis his quae *Catholicon* in 4^a parte, capitulo *De allotheta*, usque ad capitulum *De speciebus punctandi* examinat.

LXV. De pronomibus apposituiis.

[1] Fortasse plenius quam opus esset de constructionibus figuratiuis potissimum ad pronomina spectantibus diximus. Nunc de non nullis ad sola pronomina pertinentibus disseremus, posteaquam proprias in principio collocauimus ante oculos. Hoc igitur pronomen *ipse* appositium, id est addituum est, non modo nanque aliis pronomibus nominibusque apponitur, sed etiam frequentius quam cetera id agere arbitramur, ut *ego ipse, tu ipse, ille ipse, Ioannes ipse*. Nam et alia pronomina appositia reperimus, ut *ego ille, qui sapientiae afficior, homines doctos et bonos colo; tu ille qui temperatus es senescas et uitam laetam duces; Ioannes iste bene uiuendo gaudet; Bernardus hic tyrannizando dolet et dolebit; Petrus est bonus, Petrus is honorandus est*. (2) Deinde omnia pronomina personae tertiae pronomibus primae secundaeque personae apponi possunt, excepto *sui*, sed pronomina primae et secundae nec *sibi* adinuicem nec pronomibus tertiae posunt apponi. Non enim dici debet *ego tu es, tu ego sum, ego ille facit, tu ille facis*, sed *ego ille facio, tu ille facis* est dicendum. Nec abs re in illis locutionibus *ego ille facio, tu ille facis, ille* apposituum dicitur. Hoc enim apposituum habetur quod ei apponitur, ad quod uerbum redditur, ut *ego ille facio, ille* nanque cum *ego* coniungitur, quo cum uerbum sequens, scilicet *facio*, conuenit in persona. (3) Ad haec confirmanda Priscianus primo minoris, § *Pronomina quasdam*, carta 37, potest adduci, sic inquires (17, 144):

«Pronomina quasdam proprias habent obseruationes singulas, quasdam uero communes tam cum aliis pronomibus quam cum quibusdam partibus aliis orationis, cum de propriis igitur maxime singulorum superius dictum est, nunc de omnibus dicamus. *Ipsa* addituum uel aposituum dicitur, quod Apollonius epitematicon uocat, non solum hoc pronomen quod aliis pronomibus uel etiam nominibus apponatur, sed quia frequentius quam alia, ut *ego ipse, tu ipse, Cicero ipse, ille ipse* (4) Inueniuntur et alia pronomina appositua, ut Virgilius (pr. *Aen.* 1, 1):

"Ille ego qui quondam gracili modulatus auena";

idem in *Bucolicis* (9, 16):

"Nec tuus hic Moeris nec uiueret ipse Menalcas";

idem in 2^o (*Aen.* 1, 617-18):

"Tunc ille Aeneas quem Dardanio Anchisae,
Alma Venus Frigii genuit Simontis ad undas".

Per excellentiam igitur hoc pronomen *ipse* quasi proprium, quod commune est multorum, appositionis nomen possedit. (5) Et sciendum quod omnes tertiae personae pronominum possunt per supradictam figuram apponi primae secundaeque personae, excepto *sui, sibi, se, a se*. Prima autem uel secunda persona nec inuicem sibi nec tertiae possunt apponi. Nemo enim dicit *ego tu est* uel *tu ego sum* nec *ego ille facit* uel *tu ille facit*. Ille autem *ego facio*, et *tu ille facis* bene. Nam illud apposituum est quod apponitur illi ad quod uerbum redditur». (6) Et ita Priscianus constructionem pronominum figuratiuam posuit absolute. Deinde post expositam constructionem omnium partium propriam generali confusoque sermone, ut melius impropria cognoscatur in § *Illud tamen sciendum est, quod per figuram quam Graeci allothetam uocant, id est uariationem*, omnium partium constructionem impropriam explicat. Et hoc usque ad § *Sed ad pronominis ordinandi tractationem redeamus*, cuius textus supra, in libro 3^o, inter Salustii exempla, § *Cum autem hic Salustius*, usque ad § *Salustius igitur*, ad uerbum scribo, et in hoc libro de figuratiua constructione docens, sensum magna ex parte resumo (supra 3, 13, 1-ss.).

LXVI. De pronomibus coniugis, scilicet ego, tu, sui.

[1] Illud autem praetermitti non debet, coniuga pronomina ab Aristarco siniunga uocitata trium personarum primitiua, id est *ego, tu, sui*, nec sibi adiuicem nec aliis apponi possunt, sicut nec deriuatiua eorum, id est *meus, tuus, suus*, nec uerba. Solas enim tres uoces in tribus personis habent: *mei, tui, sui, mihi, tibi, sibi, a me, a te, a se*. Vt nec eorum pluralia *nos, uos, nostrum* uel *nostrum, uestrum* uel *uestri, nobis, uobis, nos, uos*. Nec eorum deriuata: *meus, tuus, suus, noster, uester*. (2) In hoc etiam causa potest assignari quod in appositione illud quod apponitur cum eo cui apponitur ad idem pertinere debet, ut *animal homo ego ipse*, et sic de aliis. Sed haec ita certa et finita sunt, quod nunquam ad idem pertinere denotantur, ut *ego tu*, uel *tu sui*, ideo apponi non possunt. (3) *Ipsa* uero, *ille, iste, hic* et *is* et pro prima secundaeque persona accipi figurate possunt. Hoc est pronomibus primae secundaeque personae et inter se possunt apponi. Non enim habent primas secundaeque personas sibi coniunctas, quibus pro illis impediuntur sumi. Horum uero trium principalium coniugatio, consimilis ipsa declarat declinatio: *mei, tui, sui, mihi, tibi, sibi, me, te, se, a me, a te, a se*. Possessiua quoque non possunt apponi, ut *meus, tuus, suus, nostras, uestras*, nisi coniunctione adiecta, ut *seruus tuus et meus est, nostras et uestras est*, in quo significatur communis possessio, possessorum uero personae diuersae. (4) Potest tamen sine coniunctione mediante uerbo substantiuo dici *res mea tua est, animus meus tuus est*, in quo etiam diuersae possessorum intelliguntur personae. Nec mirum si personae coniugatae propter certitudinem apponi non possint, nam propter confusionem tollendam et genus discernendum fieri potest appositio, ut *me ipsum et me ipsam et te ipsum et te ipsam*. Cum autem haec confusio in numeris, casibus et personis temporibusque uerborum participiorumque reperiatur saepe, per appositionem in constructione factam quaedam fit discretio, confusionisque remotio, ut Priscianus in eodem minoris primo, § *De numeris*, carta 43, usque ad § *De tu quoque*, carta 44, declarat plenissime (17, 175).

LXVII. De pronominum uocatiuis.

[1] Et in hoc § *De tu quoque* (17, 190) quaerit an *tu* nominatiui uocatiuique casus esse possit, et concludit quod sic, destructa opinione falsa.

[2] Deinde subiicit quod nomina quamuis tertiae personae sint, tamen pleraque habeant uocatiuum, sed nomina infinita uel interrogatiua uel relatiua uel redditua uel distributiua sint excepta,

quamuis ad secundam personam, sed per nominatiuos, iungi possint, ut *qui estis, quales estis, uterque uocamini Scipiones, singuli ueniatis ad me, terni prandete apud me*. Virgilius in 2^o (*Aen.* 1, 369):

«Sed uos qui tandem quibus aduenistis ab oris».

[3] Consequenter super pronominum uocatiuis sic inquit (Prisc. 17, 197): «Pronomina uero primae uel tertiae personae minime possunt habere uocatiuum, nisi possessiua primae, quando coniunguntur uel diriguntur ad secundam personam, quippe cum potest aliquis ad suam loqui possessionem, id est ad filium uel ad seruum uel ad matrem uel ad uxorem, et dicere *o mi, o mea, o meum, o noster, o nostra, o nostrum*. Et est proprium possessiuorum pronominum duas significare personas: ipsam quidem quae possidet per genitiuum ubique, eam quae possidetur per omnes casus. (2) Itaque secundae personae possessiuorum, cum in genitiuo ipse possessor sit intelligendus, ad quem dirigitur sermo, uocatiuum quoque habere non potest, nisi figuratiue uelimus dicere tuae et non alienae, id est tui potestatem habens, quomodo *ego meus sum*, Euripides (fr. u. 110):

«Oynanom» (= εγω δ εμοσ ειμι),

sed quamuis non careat ratione, tamen in usu non est, quomodo nec *suae illius nate* ut proprie *illius nate*.

»[4] Cum igitur in omnibus possessiuis tam possessor quam possessio intelligantur, nec alii possunt casus quantum ad possessores, nisi genitiui intelligi. Non possunt habere uocatiuos nisi per ipsas possessiones, cum in secunda esse intelligantur, ea persona. Nec prima tamen primam nec secunda secundam potest possidere, nisi, sicut ostendimus, figurate dicat aliquis *ego sum meus*, et *dominus seruus, tu est tuus doctor et discipulus*, ut Persius (5, 88):

"Vindicta postquam meus a praetore recessi".

Tertia uero tertiam possidere potest, quia multae et diuersae possunt esse. Vocatiuum tamen aliud pronomen in usu non habet nisi primitiuum secundae personae et possessiuum primae, quando ad id dirigitur sermo, id est quando secundae sociatur personae, licet enim naturaliter ad possessionem loqui.

»[5] Tertiae uero possessiuorum etsi natura habeat, ut per uocatiuum dici possit, ut praedictum est, possumus enim etiam ad alienam possessionem dirigere sermonem, ut

"O genitor noster Saturne maxime diuum" (Enn. *Ann.* 1, 170),

et *Euander filii*, uel *Thelamonie Ajax*. Itaque quamuis quantum ad ipsam rerum ratione naturam recte uideatur posse dici *o sue filii Euandrie*, et *o sua uxor Euandri*, ut si dicam *Euandrie filii* uel *Euandria uxor*, cum in hoc duae intelligantur personae, possessoris et possessionis, usu tamen deficit. Quomodo et apud Graecos, teste Apollonio, cum rationabiliter posse dici, non tamen est in usu. De hoc enim in 3^o clarius tractat Apollonius. (2) Sciendum autem personae deriuatiuum, ut praedictum est, ideo non potest habere uocatiuum, quia necesse est genitiuum primitiui intelligere in possessore ipso, ad quem loquitur, et uocatiuum in possessionem. Sed possessio secundae personae necessario uel ad primam uel ad tertiam uerbi personam refertur, quae naturaliter caret uocatiuo, *tuus filius sum*, uel *tuus filius est ille*. Et quamuis figurate, ut supradictum est, dicam *tu ipse tuus est et dominus et seruus*, et tamen uocatiuum non inuenies nec etiam figurate in hoc pronomine prolatum, ut eundem possessorem et eandem possessionem in una eademque persona uideatur aliquis affari dicendo *o tue*, quomodo apud Graecos, teste Apollonio». Textus autem Prisciani sequentes usque ad huius primi libri finem, supra, in eodem libro, uersiculo *Idem in eodem, circa finem, § Quemadmodum igitur nomina*, supra in fine cartae 494 reperies (5, 3, 1).

LXVIII. De elegantia pronominum possessiuorum cum hoc genitiuo domi constructorum.

[1] Hic autem quippiam de elegantia pronominum possessiuorum cum hoc genitiuo *domi* constructorum dicam. Laurentius enim et ego, libro III^o, capitulo XVII, scilicet de domus, conscribimus quod: «*Domus domi domusque* in genitiuo habet, sed in priore locum, ubi quis manet, posteriore corpus aedificiumque significat, quod ex parietibus tectoque perficitur, ut *domi maneo*, non *domus*, et *domus partem demolitus sum*. Constat autem *domi* et *in domo* idem esse, quod et Quintilianus, libro V, docet (5, 10, 16): "In domo furtum factum est, ab eo qui domi fuit". Datiuus tantum quartae est accusatiuus indifferens ablatiuus secundae. (2) In accusatiuo et ablatiuo cum praepositione uel sine sermo fit, ut *domum* uel *ad domum reddo*, *domo* uel *e domo exeo*, *domi* uel *in domo sum* uel *existo*. Hoc autem est grammaticae, illud uero latinitatis et elegantiae. Hunc genitiuum *domi* duntaxat cum quinque pronomimibus, *meae, tuae, suae, nostrae, uestrae* et uno nomine alieno coniungi, ut *uiuus domi meae, non tuae, eram domi suae, nostrae, non uestrae*. Quidam illud *domi* aduerbiacere arbitrantur, sed quomodo cum adiectiuis iungeretur? Quod si

quando haec pronomina adiectiua supprimantur, tamen debent subintelligi, ut *domi ero*, id est meae, *domi erimus*, id est nostrum, *domi eris eritisue*, id est tuae aut uestrae, *domi erit aut erunt*, id est suae. (3) Sicut in ablatiuo nominibusque plerisque, ut *partem domus locauit*, id est partem domus meae, et *pater me iussit, mater te uocat, frater nos expectat*, hoc est pater meus uel noster, mater tua uel uestra, frater noster. Nec dubium est hunc genitiuum *domi* alterum genitiuum uel nominis uel pronominis regere, ut *ego eram domi illius, domi huius, domi Caesaris, domi Pompeii*. Nec minus est perspicuum *domi publicae, domi priuatae, domi honestae, domi infamis, domi paternae, domi matrisne habito*, et similia dicere non licere». (4) De communi uero constructione huius genitiui *domi militiae, humi* similibusque Priscianum (15, 9), Petrum Heliae et alios commentatores in XV^o perspice, *Doctrinale* in VIII^o (8, 1-206), in genitiui regimine, circa finem, et quod ibi scripsi.

LXIX. De quis uel qui et compositorum syllabicatorumque ipsius constructione.

[1] Quoniam de pronominum constructione satis et plusquam satis dictum fuisse existimo, reliquum est, ut de *quis* uel *qui* et compositorum syllabicatorumque ipsius constructione tractetur. Primum redigo in memoriam, quae de his singillatim libro 2^o (supra 2, 6-ss.) usque ad libri finem disserui, ubi et multa de pronominibus octoque nominibus secundam pronominum declinationem sequentibus et aduerbiis praepositionibusque et coniunctionibus inde profectis interserui. Nec obliuioni tradas quae per regulas in III^o et IIII^o libro datas, praesertim super *quis* uel *qui* et inde fluentibus in IIII^o, a 61^a regula usque ad 108 regulam breuiter ante oculos collocaui.

[2] Impresentiarum horum constructionem examinare uolens, non nulla ad singulas partes spectantia prius expediam, quae praecedentibus in libris sunt ommissa, multum tamen ad constructiones facientia et in eam tractatu ab auctoribus explanata. Praenotandum igitur quod *quis* uel *qui* duas in nominatio pro genere masculino terminationes habet, unam pro feminino, duas pro neutro. In hac terminatione *quis* quandoque substantiue, ut *quis currit?* quandoque adiectiue, ut si ei aliquid substantiuum addatur, *quis homo currit?* Sed feminini terminatio semper tenetur adiectiue, terminatio masculini *qui* et neutri *quid* semper substantiui, *quod* adiectiue semper. (2) *Quis* et *qui* tantum infinita et interrogatiua sunt, relatiua nunquam. *Qui* uero tantum relatiuum uel infinitum, nunquam uero interrogatiuum, nisi in plurali numero. Virgilius in 2^o (*Aen.* 1, 369):

«Sed uos qui tandem? quibus aduenistis ab oris?»

uel pro aduerbio, ut *qui fieri potuit*, id est quomodo. Relatiue uero poni dictio dicitur aliqua, quotiens in secunda uel tercia cognitione existit. Prima rei existit cognitio quando significatur primo et rem primo significari dico quotiens significatur sine notatione ulla, quod de ea sermo praecesserit. Secunda autem cognitio est secundae rei significatio, id est quando res significatur ita quod de ea sermonem praecessisse notetur. De tertia noticia idem dici potest. (3) Exemplum primae: *Ioannes legit et Ioannes cogitat*. Hi secundam noticiam uel significationem non fecisse dicor, licet enim bis eandem rem significauerim, nunquam tamen de ea sermonem praecessisse notaui. Exmeplum secundae: *Ioannes legit, qui cogitat*. Exemplum tertiae: *Ioannes legit, qui cogitat, idem discipulus proficit*. Prima cognitio est sine relatione semper, secunda cum relatione prima; tertia uero cum secunda. Apud nos autem eadem pronomina primam secundamque relationem faciunt, ut in anterioribus libris est deductum.

[3] Deinde pernotetur quod a Petro Heliae primo minoris, carta V, fit dubitatio utrum *talis* et *qualis*, *tantus* et *quantus*, *tot* et *quot* relatiua sint, aut *talis*, *tantus* et *tot* in primo sint noticia, *qualis*, *quantus* et *quot* in secunda. Et secundum eum satis dici posset quod ueluti *id* et *quod* ad se inuicem referuntur, et non utrunque respectu alterius noticiam primam et secundam facit, sed in primam, quod secundam, ut ex sequenti oratione intelligitur, ita in his *tu es talis, qualis est ille* dicas, eo nanque quod dicitur *qualis est ille* debet intelligi alicuius modi illum esse, et te talem esse qualis ille sit. Vel dic *qualis* refertur, *talis* uero non. Dicit tamen Priscianus (17, 34) quod haec relatiua sunt, id est a se in respectu dicta, utrunque nanque ex respectu pondet alterius. Et affirmo quod hic non idem in secunda refertur noticia, quod significatur in prima, sed quia respectu similitudinis ad se inuicem referuntur, et ideo relatiua nominantur, quod alterum pendet ab altero.

[4] Item pernotandum reor circa demonstrationem horum, quod licet in pronominibus idem demonstratur quod significatur, in his aliud demonstratiuum est et aliud significatum, ut si demonstrans Achillis imaginem diceret, *tales sunt parentes nostri*, aliud demonstrat, aliud significat. Demonstrat enim statuum uel eius qualitatem, quod autem significat, parentibus propriis attribuit, et hoc aliud est, non

ergo idem significat quod demonstrat. Potest tamen aliquo modo dici quod statuam aut eius qualitatem significat, siquidem ex demonstratione eius datur intellectus; cum enim dicitur *talis*, intelligitur, *qualis est statua*.

[5] Insuper persciendum quod *talis*, quotiens per se ponitur, demonstratiuum dicitur, licet et subintelligatur relatio, ut *Petrus est bonus, talis est Ioannes*. Hic *talis* demonstratiuum est, sed et relatio subintelligitur, scilicet *qualis Petrus est*. Quando uero *talis* ad *qualis* opponitur, ut *qualis est Petrus, talis est Ioannes*, relatio a demonstratione cadit.

LXX. De aduerbiis relatiuis.

[1] Posthac Petrus Heliae quaerit quare relatiua aduerbia, quae etiam sunt infinita, cum tempore praeterito poni relatiua dicantur, cum praesenti autem uel futuro infinite magis quam econuerso, ut *qualiter tu fecisti, et ego feci, et quorsum ieras, et ego*, haec profecto relatiua sunt. Sed *qualiter tu facias, et ego facio, et quorsum tu uadis, et ego uadeo, uel qualiter tu facis, et ego faciam; quorsum tu ieris, et ego uadam*, haec infinita sunt. Hoc autem fit eo quod relationis est ad certitudinem semper rem reducere. Infinitiuorum est semper quandam confusionem annotare. Itaque praeterita certa sunt, praesentia incerta, futura uero confusa. Porro praeterito bene relatio, praesenti uel futuro adaptatur confusio.

[2] Praeterea idem Petrus Heliae, in eodem primo minoris, § *Illud quoque inquirendi*, quaerendo examinat utrum relatiuum aliquando per defectionem eius ad quod refertur poni possit. Quod indubium est habendum. Hoc tamen nunquam contingit, nisi quando relatiua dictio ad eam refertur, quae ex ipsa quoque quasi relatiue dependet, ut *is qui disputat loquitur*. *Is* enim et *qui* secundum uocem ad se inuicem referuntur. Ideo *qui* sequens sine *is* praecedenti uidetur dici posset, ut *qui disputat loquitur*. Itidem *tu non es is quis est asinus*; item *tu non es quod est asinus*, non apponendo sed subintelligendo *id ibi*. (2) Ex qua eclipsi plerunque locutiones fiunt ambiguae, ut *aliquid non est quod est homo*. Potest enim per defectum intelligi *aliquid non est id quod est homo*, et absque defectu *aliquid quod est homo, non es*. Itaque satius est integre rem proferri. Huius autem defectus rationem Priscianus uidetur assignare. Relatiua dictio in secunda cognitione est, quae dicitur respectu primae. Ideoque stare non potest nisi primam secum trahat, quae per dictionem fit, ad quam refertur. Ideoque ea non posita in ipsa intelligitur dicendum igitur quod ibi id primam noticiam non facit, uerumtamen quod secundam agit, cum qua secunda propter adiunctum, id est antecedentis intellectum et prima intelligitur. Cum enim dico *qui currit*, intelligitur *aliquis currit*, quod in prima est noticia ad quod id *qui* refertur. Quoniam ergo illic *quod* in se *id* habet, quod in prima est noticia, etsi illud non apponatur, bene tamen ex eo intelligitur. (3) Qua de re nunquam per eclipsim eius ad quod refertur ponitur relatiuum, nisi id quoque relatiuum sit. Haec autem tantummodo relatiua sunt, quae siue nomina siue aduerbia sunt etiam infinita. Ea nanque recipiuntur in relatione sola, ut *qui* recipiatur ad *is* uel *ille*, *qualis* ad *talis*, *quantus* ad *tantus*, similiaque quae per eclipsim praecedentium proferuntur. Praecedentia uero sine sequentibus minime, nisi in demonstratione ponantur, ut *tu es talis, tantus fuit Hercules*, ad Theseum demonstrationem faciendo, intelligitur enim *quantus fuit Theseus*.

LXXI. De constructione quis uel qui profectorumque abinde similiumque spectantibus.

[1] De *quis* uel *qui* et omnino de omnibus relatiuis regula dari possit quod relatiua idem genus, numerum exigunt et personam, et regula similiter intransitionis est, nam quae intransitiue construuntur, si haec accidentia habeant, eadem illa conseruant.

[2] Denique pro VIII^o preambulo habeatur quod Priscianus primo minoris, § *Et sciendum est*, carta XII, sic inquit (17, 41): «Et sciendum est quod omnibus pene dictionibus possumus interrogatiue uti, sed eundem sufficerentur responderetur uel aduerbio negatiuo uel affirmatiuo, ut si interrogem *homo est ille?* et responderetur *homo est* uel *non* uel *etiam*; *legit?* *legit* uel *non* uel *etiam*, *doces et doceris?* *doceo et doceor* uel *non* uel *etiam* aduerbium affirmatiuum. Et supradictis nominibus uel aduerbiis, quae generaliter in se omnes species compraendunt, omnibus sibi subiectis speciebus bene responderetur, ut si dicam *quis est ille?* Potest ad hoc omnis substantiae species responderi, quae est subiecta interrogationi, ut *homo, equus, coruus, piscis*. (2) Similiter si dicam *qualis*, omnis species qualitatis huiuscemodi interrogationi bene responderetur, ut *bonus, albus, niger*, et similia. Similiter *quantus* interrogantibus omnes species quantitatis aptissime subiiciuntur, ut *longus, breuis, magnus, paruus*, et similia. Numeri quoque omnes, si

interrogatiue proferatur *quot*, congrue referuntur, ut *quot homines? tres, X, mille*, et similes. Similiter possessiuum, infinitum *cuius, -a, -um*, quod ad omnes species possessiuorum pertinet, ut si dicam *cuius est filia haec? mea* uel *tua* uel *sua* uel *illius* uel *Priameia* uel *Euandria*. (3) Nec non etiam infinito gentili opportune respondemus nominibus quoque gentilibus cunctis, ut *cuius est iste?* siquis interroget, *nostrás*, *uestrás* uel *Graecus* uel *Romanus* uel *Syrius*, et similia. Sic igitur aduerbiorum supradictorum ad omnes sibi subiectas species intendere possumus interrogationes, ut *qualiter?* interroganti respondemus *bene* uel *male*, et similia, et *cito* uel *tarde*. *Quotiens?* uero interroganti, *semel, bis, centies*, et similia subiicio. (4) Sic etiam localia si interrogem *quo*, respondes *huc, illic, domum, militiam, ad Italiam, Romam, humum, unde, hinc, illinc, istinc*. *Qua?* *hac, illac, istac*. Si uero *ubi?* respondes *illic* uel *domi* uel *militiae* uel *in Italia*. Non solum enim aduerbia huiuscemodi interrogationibus localibus, sed etiam nomina locos significantia, licet subiicere ad loca quoque praecedente *quo*, in locis uero *ubi*, de locis *unde*, per loca *qua*.

[3] Posteaquam non nulla preambula ad constructionem *quis* uel *qui* profectorumque abinde spectantia declarauimus, regulas eorum et similium constructionem, ordinationem, collocationem, dispositionem regulandam edocentes perstringam, quibus quasdam generales praeponam.

[4] Prima igitur regula est quod in constructibiliu ordinationem uocatiuus, si reperiatur, praeponendus est, deinde nominatiuus subiungendus, postea uerbum personale capiendum, sed ubi uerbum impersonale foret, eius suppositum quoque praemittendus est, consequenter est impersonale subiungendum. Cum autem uocatiuus nominatiuusque defuerint, a uerbo uel personali uel impersonali incohanda est constructio, id est constructibiliu ordinatio. Aduerbium uero post uerbum est immediate disponendum. Posthac obliqui casus post suos rectores copulantur; praepositiones autem suis causalibus, ut et coniunctiones, nunc partibus orationis, nunc eius clausulis perfectisque orationibus praeponuntur: *O deus redemptor mundi, tu parcas perbenigne nobis omnia peccata nostra, quae misereat fragilitatis nostrae, et apud deum patrem pro nobis merita tuae sacratissimae passionis matrisque tuae et omnium sanctorum intercedant*. (2) In prima quidem et secunda clausula uerba, ut iacent, ordinabis; in tertia uero construes hoc modo: *et merita passionis tuae sacratissimae, quod pro et matris tuae et omnium sanctorum intercedant apud deum patrem pro nobis*. De hac regula fere tota *Doctrinalis* textum in IX reperies capitulo (9, 1.390-96):

«Construe sic: casum si sit praeponere uocalem,
Mox rectum pones, hinc personale
Verbum, quod primo statues, si cetera desint,
Tertius hinc casus et quartus saepe sequentur
Aut uerbo subdes aduerbia, subde secundum
Casum rectori, debet uox praepositua
Quarto praeiungi uel sexto, quem regit ista».

[5] 2^a regula est: *Quis* uel *qui* uel relatiuum uel infinitum uel interrogatiuum in numero tam singulari quam plurali casibusque omnibus in constructione praeponi debet, ita quod relatiuum *qui, quae, quod*, post proprium antecedens uerbumque ipsius collocetur, ut *Petrus, qui legit, proficit*, uel *Petrus proficit, qui legit*, uel *urbes quae reguntur a sapientibus*, uel *quas docti et prudentes regunt, sunt felices*. Haec exempla de *qui* relatiuo sint. De *quis* uel *quid* infinito: *nescio quis bonus*, uel *quid boni, sit hodie*, uel *quem bonum* aut *quos bonos inuenias*. De interrogatiuo: *quis hoc tempore diues esse potest? Qui ignari doctos laudant? Quos pauperes uides abstinentes a pecunia? Quid boni potest impaesentiarum expectari?* (2) Ratio autem quare relatiuum in constructione siue intransitiue siue transitiue existat, uerbum quocum constructur, debeat praecedere, assignari potest, quia omne infinitum relatiuum semper ab eo, ad quod refertur, in eandem locutionis partem attrahitur. Semper enim ad eius determinationem est, ad quod fit relatio, ut *Petrus Heliae* in primo minoris, sub dicto § *Illud quoque inquirendum*, uersiculo *Et ratio quare relatiuum*, attestatur.

[6] 3^a est: *Qui* nunc solam relationem facit, ut *tu, qui sedes, quiescis*; nunc discretionem unius ad alterum, ut *corpus, quod animatum est*, ad inanimati differentiam; nunc etiam casum cum relatione signat, ut *suspendatur iste, qui latro est*, id est quia latro est. Et hoc modo *qui* apud Ciceronem maximosque auctores saepenumero inuenitur. Et haec etiam *Petrus Heliae*, sub dicto § *Illud quoque inquirendum*, uersiculo *Et nota*, scribit.

[7] 4^a regula. *Quis* de substantiua nomineque proprio potest quaerere, nam si nomen proprium notum sit, de substantia interrogationem facit, ut *quis est Ioannes?* respondendum est *iste* uel *ille*. Sin autem nota sit substantia, proprii nominis desideratur noticia, ut *quis est iste qui uenit? Petrus* uel *Ioannes* responderi debet. *Priscianus* in eodem primo minoris, § *Huic nomini, id est quis*, carta X (17, 33), et *Petrus Heliae* in eodem primo, circa medium, § *Et nunc de ipsis interrogatiuis dicamus*, praedicta confirmant.

[8] 5^a. Per *quis* etiam de nomine communi quaeri potest, ut *quis lucem in caelo habet et praestat? Sol. Quis uolat in aere? Passer uel auis. Quis natat in mari? Piscis. Quis ridet in terra? Homo.*

[9] 6^a. Licet per *quis* facta interrogatio quantum ad usum solos deos hominesue pertineat, sicut *aliquis*, tamen quantum ad institutionem omnes complectitur, adeo ut quando praedicatum non determinate ad rem generis unius pertineat, *quis* ad omnes passim interrogationem potest intendere. Itaque per *quis* ad omnia masculina, feminina, neutraque fieri potest interrogatio, sed per *quae* de feminis congrue non quaeritur, ut *quae net? Nam quae* semper ponitur adiectiue. Ideo per *quae* cum nomine generali substantiuo iunctum quaeretur, ut *quae res uel femina net? (2) Petrus enim Heliae in primo minoris, § Quaeritur etiam utrum ad quis*, scite sic inquit (Reilly 912): «Sicut praedicta generalis interrogatio fit ad omnia masculina substantiua, sic debet esse quaedam generalis ad omnia feminina. Aut ergo illa fiet per *quis* aut per *quae*, sed non uidetur congrue quaeri *quae currit? Possumus dicere quod sic debet fieri: quae res currit? Quae* enim semper similiter adiectiue ponitur. Notandum tamen quod interrogatio facta per *quis* ad duo se habet. Nam quantum ad usum, ad solos homines uel deos pertinet, sicut *aliquis*. Quantum autem ad institutionem, ad omnes. Et satis uideri secundum institutionem, quod quando praedicatum est, non determinate pertinens ad rem unius generis potest intendere, interrogationem tam ad masculinos, quam ad feminas, quam etiam ad alia».

[10] 7^a. Ad uocatiuum, id est per uocatiuum fieri non potest relatio, ut *Iesu, qui mundum redimisti, parce nobis*. Omnis enim uocatiuus secundae personae est, secunda uero persona semper praesens est, demonstratiueque accipitur. Ideoque semper in prima significatione est, nunquam igitur in secunda. Quare uocatiuus in relatiuis non est nec per eum fiet relatio, licet aut relatio directe ad eundem casum facta, ut *Ioannes, qui currit mouetur? (2) Ad uocatiuum non fiat, tamen indirecta fiet, quae casuum diuersitatem seruat, ut in exemplo praedicto, Iesu, qui mundum redimisti, parce nobis*. De hoc Priscianus primo minoris, § *Relatio quoque*, carta 45; scripsi supra (5, 18, 3), in hoc libro, uersiculo *Idem Priscianus primo minoris, § De tu quoque*, et Petrus Heliae super primo minoris, § 2^o, *quaeritur*, uide quod scripsi super IX^o *Doctrinalis* mei in lectione *Quis, qualis et quantus*. (3) Vbi inter alia sic scribo: «Priscianus primo minoris circa finem ait: "Relatio quoque ad uocatiuum non fit, cum ad ceteros casus fiat, ut *ego lego, qui scripsi, tu legis, qui scripsisti, ille legit, qui scripsit, meus seruus est, cuius aere emptus est*". Vbi dicit glossa ordinaria quod hoc Priscianus incidentaliter dixit, quia statim in dicto praecedenti dixerat pleraque nomina habere uocatiuos, sed relatiua non habere. Ideo dicit quod cum ceteros casus, id est per ceteros casus, fiat relatio, per uocatiuum non fit, id est relatiua uocatiuum non habent, et dat causam quia relatiua antecedentem cognitionem faciunt, id est secundam noticiam, sed uocatiuum non secundam, sed primam, ergo relatiua uocatiuos non habent».

[11] 8^o. Ad *quis* interrogatiuum licet per *qui* respondeatur relatiuum, tamen *qui* non ad *quis* sed ad *is* uel *ille* subintellectum refertur, ut *quis mundum redemit? Qui de spiritu sancto conceptus, natus est ex Maria uirgine*. Nam si hic *qui* de *quis* relatiuum esset, *quis* primam noticiam de supposito faceret, quod interrogatione foret contrarium, quae circa suppositum dubitationem solam constituit. Itaque referendo *qui* ad *is* uel *ille* subintellectum, sic fiet responsio: *is* uel *ille*, supple, *qui de spiritu sancto conceptus, natus est ex Maria uirgine, redemit mundum*.

[12] IX^a regula. Quod *is* uel *ille* proxime dicta oratione uel simili, ut *quis scripsit Aeneida? Qui et Georgica*, ad aliquid nomen appellatiuum refertur, scilicet *is* uel *ille Christus, qui de spiritu sancto conceptus, natus est ex Maria uirgine, redemit mundum*, et in illa simili *ille poeta, qui scripsit Georgica, scripsit Aeneida*. Sicut cum dicimus (Verg. *Aen.* 7, 110):

«Iupiter ipse monebat»,

hic enim quoque refertur *ipse* ad *Iupiter*, uel dic quod utriusque ad alterum, secundum uocem, sed non secundum intellectum fit relatio. (2) Relatio uero secundum uocem non exigit per eam dictionem primam fieri noticiam, ad quam fit relatio. Cum enim dico *semini tuo, qui est Christus, qui* secundum uocem refertur ad *Christus*, non tamen noticiam primam facit. Illa nanque secundum intellectum consideranda est. *Is* tamen uel *ille* quantum ad intellectum ad aliquis subintellectum referri debet sensusque quoad primum sit exemplum, *aliquis redemit mundum, is tamen uel ille, qui de spiritu sancto conceptus, natus est ex Maria uirgine, mundum redemit*. Quo uero ad secundum exemplum erit *aliquis scripsit, sed is uel ille qui Georgica scripsit, scripsit Aeneida*.

LXXII. De quis uel qui profectiuorumque abinde constructione.

[1] X^a. *Qui* nomen ad pronominis personas omnes potest referri, et cum uerbis primae secundaeque personae per euocationem construi. Identitatis enim relatiuum est et eandem quam *ego* uel *tu* notat substantiam, ut *ego sum gaudens, qui studeo, laetaris qui ludis, ille qui currit mouetur*. Vide supra in hoc libro, § *Animaduertendum tamen*, carta 503, et 18 doctrina (5, 20, 4). Quando post *ego sum* uel *tu es* apponitur *ille* uel *is, qui* relatiuum cum uerbo primae secundaeue personae propter euocationem ab *ego* *tu*ue factam uel cum uerbo tertiae propter naturam propriam ipsius *ille* uel *is* quam *qui* accipiet, subiungetur, ut *ego sum ille qui laete studeo*, uel *ego sum ille qui laete studet; tu es is qui legis*, uel *tu es is qui legit*. Hic enim *ille* et *is* ex euocatione primae uel secundae personae sunt, per se uero tertiae, nam et euocationis et proprie naturae personae seruari potest, et sic utrunque diuersis respectibus potest admitti. (2) Quod si ad nomen non autem ad pronomen fiat relatio, non utrunque sed ultimum est dicendum, ut *ego sum homo* uel *ille homo qui laete studet*, sed non dicitur *ego sum homo* uel *ille homo qui laete studeo*. Quamuis enim *qui* ad *homo* referatur, quod ex euocatione primae personae est, tamen quia per se est tertiae, relatiuum quoque tertiam adoptabit. Nam si horum utrunque recte diceretur, nulla ratio uideretur, quare non bene in genere dissimili proferretur *ego sum animal quod studeo, ego sum substantia quae curra* (3) Cuiusmodi locutiones nullus auctor approbavit nec usus admittit, quia quotienscunque ad nomen fit relatio, semper in tertia personae relatiuum intelligendum est, nisi ad uocationem fiat, et ideo uerbum personae tertiae subsequetur. Ergo dicitur *ego sum animal quod studet, ego sum substantia quae currit*.

[2] XI. Latine uero dicitur *ego sum id quod sum* et *ego sum id quod tu non es, id quod* cum alio uerbo stare non potest, ut *ego sum id quod sedeo*. Nam et congrue dicitur *ego sum ille qui sum animal*, sed non *ego sum illud quod sum animal*. De his autem regulis quattuor ultimis Petrum Heliae primo minoris perspice, ubi de articulis agit, in § *Vtrum qui ad quis interrogatiuum referatur*, et in § *Quaerendum est cum id quod refertur*, huius XI regulae rationes.

[3] 12^a. est. *Qualis, quantus, cuiás, cuius, quotus* et *quot* uelut regula interrogatiua et infinita regulam secundam super *quis* uel *qui* relatiuo, interrogatiuo et infinito quoque datam obseruant.

[4] 13. Aduerbia a *quis* uel *qui* et ab his nominibus proxime dictis profecta formam eandem tenent. Quoad probationem uero secundae regulae, quartae quinquaeque, in IX^o *Doctrinale* facit (9, 1.417-25):

«*Quis, qualis* et *quantus, cuiás, cuius, quotus* et *quot*
Missa relatiue penitus praeponere debent
Obliquos uerbo, praeiunges missa rogando,
Hanc sua iungendi retinent aduerbia forma.
Quis proprium nomen et quae substantia quaerit
Si proprium nomen debet substantia quaeri,
Qua nota proprio tantum de nomine quaero
Communi per *quis* etiam de nomine quaeris:
Quis bonus est aratro? Bos. Quis nat aequore? Piscis».

[5] 14. Nomina interrogatiua cupiunt sibi per sua responsiua casu in simili responderi, seu per quaecunque casum fit interrogatio, per eundem fieri debet responsio, ut si interrogas *quis studet?* per nominatiuum *Ioannes* et non per alium casum responderi debet; et si petas *quem uides?* respondetur *Ioannem*. Vnde dicitur quo casu quaeris, hoc respondere tenet, et ratio est quia interrogatiuum et responsiuum per eundem modum habitudinem uerbum a quo reguntur respiciunt, quare in eodem casu poni debent. (2) Adeo ut si interroger quo nomine uocer, respondebo *Ioannes Raimundus Ferrarii*, quod nomen naturaliter positum in ablatiuo erit, quasi dicam *hoc nomine Ioannes Raimundus Ferrarii*. Hoc *Doctrinale* in IX^o confirmat (9, 1.426):

«*Quaesitiua pares optat casus sibi reddi*».

Et infra (9, 1.519-21):

«*Fiet de uoce sermo quandoque per ipsam*
Materialiter hanc ibi dices esse tenendam,
Casus per uoces confundis materiales»,

et utrobique commentatores lege.

[6] 15^a. *Cum, quando, dum, postquam, donec, si, quoniam, quia, ut* similiaque aduerbia coniunctionesque in constructione praeire debent, ut *cum ueneris, legam*, ius enim implicitum relatiui

tenent. Vt autem ius relatiui perspicias implicitum, est sciendum quod relatiuum duplicem naturam habet, unam quod suum in locutione referat antecedens, et hanc uim haec aduerbia coniunctionesque de quibus agitur non habent. Altera relatiui est natura, quod antecedens suum determinet, tamen relatiuum in quantum relatiuum per se hoc non potest, sed id ratione uerbi sequentis facit. Iccirco cum relatiuum sit confusum oportet ut actui per quem determinetur praemittatur. (2) Similiter hae dictiones actum alterius uerbi determinant, non ratione sui, cum sint confusae, sed ob uerbum cui adduntur. Et ideo uelut confusae semper actui per quem de ipsis sit determinatio praemittunt, ut *uix ueneris, tibi mercedem reddam*. Itaque quantum ad hoc uim relatiui tenent implicitam. Cum igitur hae dictiones actum sibi uerboque alii copulent, id autem quod aliud copulat ei praemitti debet, non immerito praemittendae sunt. Et ita non modo per secundam regulam, sed et per hanc quindecimam primae fit limitatio, quaedamque cum impedimento quodam constructionis exceptio, ut et in sequenti fit.

[7] 16. Cum antecedens de iure uiam relatiuo paret, oportet quandoque obliquos antecedentis in constructione praere, ut relatiuum habeat ad quod referri possit, et hoc dupliciter fit, seu relatiuum in nominatio seu in obliquis collocetur, ut *isti subuenit sua mater uel pater eius, et huius cuius suus praeceptor amator erit, sua doctrina florebat*. Hic enim construi non potest *sua mater uel pater eius subuenit isti*, et *sua doctrina huius florebit, suus praeceptor cuius amator erit*, tunc enim relatiua non haberent ad quod referri possent. (2) Ideo fieri sic debet constructio: *isti sua mater subuenit uel isti pater eius subuenit et huius cuius suus praeceptor erit amator doctrina sua florebit*. Hanc regulam 15 *Doctrinale* confirmat hoc modo (9, 1.427-31):

«Cum, quia, dum, donec, quoniam, similesque praeibunt
Cunque relatiuis de iure uiam paret horum
Praecedens decet obliquos quandoque praere
Cum notat hoc rectus ac obliquus notat illud
Isti subuenit sua mater uel pater eius».

[8] 17. Quotiescunque relatiuum inter duo substantiua diuersorum generum ad idem pertinentium ponitur, cum utroque in genere conformari potest. Tunc enim secundum relationem in eodem genere cum praecedenti, sed secundum intransitionem cum sequenti conuenire potest. Itaque utrunque bene dicitur *semini tuo qui est Christus uel semini quod est Christus*. Et in primo quantum ad uocem ad subsequens, quantum uero ad intellectum, ad praecedens fit relatio. Hoc Petrus Heliae primo minoris, ubi de articulis docet, § *Regula relatiuorum est*, ponit expresse. (2) Tamen alibi contrarium tenere uidetur, ubi dicit quod relatiuum in genere cum praecedenti conformari debet, ideoque melius *quod* quam *qui* dicitur, quippe naturae relatiui est cum antecedente saltem in genere conformari. Aliqui tenent *qui* sed non *quod* semper esse dicendum, figurate tamen et improprie, et ibi antipthesis seu alotheta est. Ibi nanque *qui* per *quod* et sic genus pro genere ponitur, ex quo paret improprietas. Possibilitas uero est quia substantia inter quae ponitur idem significant. (3) Ideo ad rationem identitatis substantiui praecedentis et subsequentis denotandum ponitur *qui* refertque subsequens, scilicet *Christus*, ut denotetur quod *Christus* et *semen* idem sunt. Necessitas uero est sententiae expressio. Ad hoc infra, regula 193 uideatur, ut haec materia etiam quoad elegantiam competens habeatur. Enimuero qui grammaticae loqui uolunt, *quod* et non *qui* dicunt, confirmantes cum praecedenti genus. Et hoc Roberti est sententia, *Doctrinale* canit utrunque dici posse, sed *quod* proprie *qui* uero improprie.

[9] 18 regula proximae praecedenti similis est, quod quodocunque nomen adiectiuum inter duo substantiua diuersorum generum ad idem pertinentium collocatur in genere utriusque conformatur, ut *coluber est factus uel facta mystica uirgula, uel ex aqua facta uel facto uino*. Hic autem quod in proxima regula dictum est, dici potest, quod scilicet proprie cum priore substantiuo conformetur adiectiuum, improprie uero figuratiueque cum sequenti, et hanc Roberti *Doctrinalis*que opinionem potius tenendam existimo.

[10] 19^a sit propter materiae similitudinem uicinitatisque locum, ubi haec regula duaeque proximae praecedentes a *Doctrinali* docentur, quodocunque substantiuum uerbum inter duos rectos substantiuos diuersorum numerorum interponitur, cum illorum utroque in numero conformari potest, ut in *Doctrinali* (9, 1.441):

«Sermones summi patris est meditatio iusti»,
sunt enim uel est dici potest, et apud prophetam (*Psalms*. 118, 99): «Testimonia tua meditatio mea est», et apud Terentium:
«Amantium rixae redintegratio amoris est»,
et apud Ouidium (*Ars Am.* 3, 222):
«Vestes, quas geritis, sordida lana fuit»,

ubi et *fuert* dici potuit, tamen substantiuum uerbum congruentius cum nominatio supponente, quod debet praecedere, in numero et persona se conformat. (2) Nam personale uerbum a substantia supponente numerum accipit et personam, et sequens substantia uerbi nequit esse suppositum. Secus enim effectus causam suam praecederet, quod esset inconueniens. Ergo sic congrue facienda est ordinatio: *meditatio iusti est sermones summi patris*, et sic de ceteris semper substantiam praemittendo, qua cum uerbum in persona et numero conformetur, id quod uerum est, si locutionis congrue sit cupido. Illa nanque locutio *sermones summi patris est meditatio iusti*, impropria et figuratiua est, si nominatiuus praecedens, scilicet *sermones*, uerbi *est* suppositum fuerit. (3) Licet enim quidam uelint uerbum *est* de natura copulae uehementius rectum quem copulat respicere, tamen quantum ad naturam suppositi fortius nominatiuum respicit praecedentem. Et hic respectus est rationabilior et tutius est, ut dicatur quod uerbum cum nominatio praecedenti conformetur, licet quantum ad sequentis intentionem cum sequenti habeat conformari.

LXXIII. De numero pro numero collocato.

[1] 20^a. Quod haec oratio *sermones summi patris est meditatio iusti*, et similes, numerum pro numero collocantes per antiptosim excusantur, et sic quoque improprietatem, possibilitatem necessitatemque admittunt. Improprietas manifesta est, eo quod uerbum cum nominatio supponente in numero dissonet. Possibilitas est quo substantia praecedens idem cum sequente significet. Ideo sicut cum uno ita bene cum altero potest ordinari. Necessitas autem fuit sententiae expressio, ut res eo modo intelligitur conuenienti sermone exprimat. Is nanque qui hanc locutionem protulit, *sermones summi patris* plures esse intellexit, et ideo posuit in plurali, deinde significare uolens, quod huiusmodi sermones quoad *iusti meditationem* unirentur uel quod cum deo unum essent (quicquid enim est in deo, deus et unum est) *meditatio iusti* in singulari dixit, et ita de ceteris est dicendum.

[2] 21^a. Verbum substantiuum uocatiuumque inter duos rectos substantiuos positum copulat eos, nunc genere sub diuerso, ut *Gallia est* uel *uocatur fons bonitatis*; nunc sub uario numero, ut *tu es omnia* uel *uocaris omnia*; nunc uaria sub persona, ut *ego non sum tu, tu non es ego*. Vnde in libro *Pauperum* hos uersus inuenies:

«Saepe genus numerum cum persona uocor et sum
Mutant in fixis: *est Gallia fons bonitatis*
Omnibus omnia sis, ego sum tu sic ego tu sis».

Ceterum hae constructiones figuratiuae sunt, cum enim in constructione intransitiua constructibilia ad idem referantur, in accidentibus conuenire deberent, quae in constructione transitiua requiruntur. (2) Confirmationem uero harum quinque regularum postremarum per *Doctrinale* leges in nono (9, 1.439-48):

«Cum diuersorum uerbum rectis numerorum
Interponantur utrilibet equiparatur:
Sermones summi patris est meditatio iusti
Quando relatiuum generum casus uariorum
Inter se claudunt qui rem spectant ad eandem
Per genus hoc poterit utrilibet associari:
Est pia stirps Gessae, quem Christum credimus esse.
Sic adiectiuum reperimus saepe locutum:
Est coluber facta uel *factus mystica uirgula*
Ponere suprema duo non debes sine causa»,

et hic commentatores uide.

[3] 22^a regula secundum *Catholicon* est quod nominatiuum qui uerbo substantiuo apponitur, cum uerbo nec in numero nec in persona concordare tenetur, ei nanque non supponit. Vnde Lucanus (3, 108):

«Caesar erat omnia».

Attamen non nunquam cum sequenti, sed non cum praecedenti per prolepsim anastropheque concordat, eo quod ante intelligitur, ut

«Rixae amantium integratum est amoris» (Ter. *Andr.* 555),

et Ouidius (*Ars am.* 3, 222):

«Vestes, quas geritis, sordida lana fuit»,

et propheta: «Testimonia tua meditatio mea est», et *arma unus gladius est, et nuptiae unum connubium est.* (2) Sciendum autem quod in huiusmodi locutionibus nominatiuus suppones debet, hoc uerbum *est* praecedere et ei immediate iungi. Si autem nominatiuus post uerbum sequeretur, incongrue diceretur. Vnde huiusmodi latinitates non admittimus: *testimonia tua est meditatio mea*, uel *arma est unus gladius*, uel *meditatio mea testimonia tua est*, uel *unus gladius arma est*. Et haec *Catholicon* in IIII^a parte, capitulo VII, scilicet *De prolepsi*, in § finali, tenet expresse. Licet autem *Catholicon* quo ad proprium sermonem recte dicat, tamen quo ad improprium figuratiuumque *Doctrinale* potest admitti. Ideo dicit in fine (9, 1.448):

«Ponere suprema duo non debes sine causa».

[4] 23^a regula est: propter maiorem antedictorum dicendorumque intelligentiam secundum *Doctrinale* in IX, taliter est habenda, quod decet naturam substantiui adiectiuique cognoscere, nam in tribus, scilicet in genere, numero et casu, conuenire debent, ut *Ioannes albus*.

[5] 24^a regula. Quod adiectiuum tripliciter accipitur: primo modo uoce tantum, ut illa octo pronomina primitiua *ego, tu, sui, ille, iste, ipse, hic* et *is*. Secundo modo re tantum, id est significatione quia rem per modum inheretiae, seu officium accidensque prout substantiae inest, significat, ut *Papa, cardinalis, prima, antistes, archiepiscopus, episcopus, clericus, rex, dux, comes, doctor, eques, miles, ciuis, faber*. Tertio re et uoce dicitur, ut *albus, -a, -um, niger, -a, -um, hic campester* et *haec campestris* et *hoc campestre, hic et haec* et *hoc felix, hic et haec fidelis* et *hoc fidele*. (2) Vel sic regula poni potest: quod est adiectiuum uocis, id est adiectiuum cum substantiuo in accidentibus uocis, id est uocem ipsam, consequentibus, scilicet in genere, numero et casu conuenire debet. Et est significati adiectiuum, id est adiectiuum significationem habere debet, quae cum substantiuo conueniat, idque determinare possit, aliter congrua non fieret copulatio, ut *camisia cathogrica, tunica hypothetica, candidus syllogismus, caliga uerbalis* et similes, ut in principio Ebreardi patet. Omnes enim locutiones tales existimantur incongruae. (3) Vnde sic breuiter dici potest: Adiectiua cum substantiuis in tribus accidentibus uocem concernentibus, ut in genere, numero, casuque, conformari debent. Et adiectiuum talem significationem habeat, quae substantiuo, ut *albus homo*, conueniat. Causa uero qua substantiuum et adiectiuum in illis tribus conuenire debent dari potest, quod ea in numero et per essentiam idem faciunt, quae autem talem identitatem habent, diuersorum nec generum nec numerorum esse possunt. Item per unam eandemque reguntur habitudinem, ideo casus eiusdem sint oportet. Pro huius regulae et 23 confirmatione *Doctrinale* in IX^o uide (9, 1.434-35):

«Mobilis et fixi naturam nosse decebit,

Est adiectiuum uocis uel significati»,

et hic commentantes, praesertim Ioannem de Crocho, lege.

[6] 25^a. Adiectiuum ab *adiicio, -is* deriuatur, et est id quod substantiuo adiicitur. Priscianus enim III^o maioris ait post principium (3, 3): «Itaque adiectiua iure sunt appellata, quae illis nominibus quae substantiam demonstrant adiiciuntur, unde nomina dicuntur adiectiua, quae substantiuis adiiciuntur. Et hinc *adiectiuo, -as*, id est adiectionem facere uel adiectiua ponere». Hoc etiam *Catholicon* in V parte confirmat.

[7] 26. Licet substantiuum et adiectiuum in dictis tribus debeant conuenire, tamen quandoque in numero casuque discrepant, nunquam tamen in genere, ut *haec una sororum uenit; est inter fratres bonus ac de fratribus unus*. In his enim adiectiua cum substantiuis in genere conueniunt, in ceteris differunt. Et talis uariatio tripliciter esse potest: aliquando nanque substantiuum et adiectiuum in casu genereque conueniunt, in numero uero dissonant, ut *misereor unius sociorum*. Aliquando in genere tantum conueniunt, et in casu dissentiunt, ut *uideo duas sororum*. Aliquando duntaxat concordant in genere, et in aliis discrepant, ut in exemplis antedictis.

[8] 27^a. Dicendo *una sororum, una* duplex substantiuum habere potest, unum immediatum subintellectumque, scilicet *soror*, quod non exprimitur oportet, alterum mediatum, scilicet *sorum*. Vnde composita dicitur a Petro Heliae talis esse constructio, quia respectu partis subintellectae dicitur intransitiua esse, sed respectu totius transitiua. Vnde Petrus Heliae cupit quod in talibus adiectiuum cum illi toto conformetur, quippe cum suum substantiuum sit, ut *rosa est pulcherrimus florum*. Vnde talis est impropria *una gigantum*, aut oporteret ut *hic et haec gigas* diceretur.

[9] 28. Cum dicitur *unus de fratribus* uel *bonus inter fratres*, hi casus *fratribus* et *fratres* a participio subintellecto, scilicet *existens*, reguntur, ut *unus*, scilicet existens de fratribus, uel *bonus*, scilicet existens inter fratres. Licet quidam teneant quod accusatiuus et ablatiuus ab illo nomine adiectiuo regi possint. Quod si dicatur quod retorsiuus causalis ad actum sit, praepositio subiici potest, id uerum esse. Vel quod actui quo ad aliquid equipolleat, quemadmodum sunt talia huiusmodi nomina, quia partis dispositionem

per operationem ad totum dicunt. (2) Probationem harum trium regularum postremarum in IX *Doctrinalis* cum eius ibi commentatoribus inuenies, ubi sic *Doctrinale* dicit (9, 1.436-38):

«Solius est generis adiectiuum uariatque
Cum numero casum, uelut *haec uenit una sororum*,
Est inter fratres bonus ac de fratribus unus».

Ratio autem quare hic substantiuum et adiectiuum eiusdem generis sed diuersorum numerorum sunt et casuum, dari potest quia idem sunt et immo eiusdem generis esse debent. In aliis autem fieri potest uariatio, ibi nanque partitiua est constructio. Cum autem in ipso toto pluralis possunt esse. Item quia pars a toto diuersa est et casuum potest esse diuersitas.

[10] Cum hic de relatiuis partitiuisque sit actum et agetur, 29^a sit regula quod relatiuum sit duplex: unum grammatice loquendo quod est ante late rei recordatiuum, ut *quis*, et *sui*, *ille*, *ipse* et *is*, et talia genitiuum ex ui relationis non regunt. Et causa est quia semper eorum dependentia per antecedens terminatur et in suae dependentiae terminandae ratione fundatur, ideo casu a parte post non eget. Itaque cum genitiuo non construitur. (2) Alterum autem relatiuum logice loquendo est quod ad aliud dicitur, cum quo posito, se ponit, et perempto se perimet, ut pater ponitur, posito filio, et hoc interempto, interimitur, et econtra. Intellige tamen quod in *interimitur* in quantum pater, non tamen id quod est pater, scilicet patris substantia non interimitur, sed modo respectus ipsae, scilicet paternitas. Mortuo nam filio, ulterius pater dici non debet, nec econtra. Et plura alia, ut *dominus*, *seruus* et similis. (3) Et horum relatiuorum tres sunt species, quaedam suppositionis sunt, ut *dominus*, *magister*, quaedam subiectionis, ut *seruus*, *discipulus*, quaedam equiparantiae, ut *socius*, *uicinus*. Et talia cum causalibus construuntur, nam quaedam sub habitudine genitiui dicuntur ad aliquid, et talia cum genitiuo construuntur, ut *pater filii* uel *Ioannis*. Quaedam dicuntur ad aliquid sub datiui uel accusatiui uel ablatiui habitudine, et haec cum his quoque casibus adaptantur, ut *similis simili*, *paruis ad magnum*, *disciplinatum disciplina*. (4) Aristoteles enim in *Praedicamentis*, in relationis capitulo, haec omnia confirmans, sic ait in principio (*Categ.* 7, Minio pag. 58): «Ad aliquid uero talia dicuntur, quaecunque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, uel quomodo libet aliter ad aliud, ut *maius* id quod est alterius dicitur. Aliquo enim *maius* dicitur et duplum dicitur. Similiter autem et quaecunque talia sunt. At uero sunt etiam haec ad aliquid, ut habitus, affectus, disciplina, positiuo. Haec enim omnia, quae dicta sunt, haec ipsum quod sunt aliorum dicuntur et non aliter ad aliud. Habitus enim alicuius est habitus, et disciplina alicuius est disciplina, et positiuo alicuius est positiuo, et alia quidem similiter». Multa alia ad rem facientia, in hoc capitulo et apud Petrum Hispanum in *Praedicamentis* suis, capitulo eodem, scilicet de relatione, reperies.

LXXIV. De relatiuis logicalibus eorumque regimine.

[1] 30^a regula est quod dictio relatione significans genitiuum casum significantem relatiuum uel ipsius relatiui casum, scilicet uel ipsum relatiuum ex ui relationis regit, ut *quaterna sunt dupla duorum*, speciem generis iungas et genus speciei, aliaque multa similia inueniri possunt. Duplum enim ad duo sub dependentis ad aliud ut cuius ratione dicitur relatiue, et ideo cum genitiuo construitur, ut *dupla duorum*. Intellige tamen quod duplum ad duo relatiue non dicitur, nisi eo quod duo ipsius dupli sit dimidium. (2) Vnde conuertitur duplum, dimidii duplum et dimidium, dupli dimidium. Et non duplum duorum duplum, nec duo dupli, cum bis duo significant, quae sunt quattuor, et ideo *Doctrinale* dicit in VIII^o (8, 1.170):

«Adde relatiuum, sunt dupla quaterna duorum».

Item dimidium medietatem dupli significat, ad illa enim formam ad quam duplum, ad quod dicitur relatiue, est impositum, et econtra. Duo uero dupli medietatem significant, non tamen ad hanc formam imponuntur, sicut ad quam duplum, sicut dimidium, et ideo ad duplum relatiue non dicuntur, nisi quia duo sunt dimidium. (3) Per hoc autem exemplum Alexander de Villa Dei similia exempla dedit intelligi, ut *pater Ioannis*, *filius Petri*. *Ioannis* enim ad *patrem* relatiue non dependet, nisi quia Ioannes est filius; idem de Petro est dicendum. Itidem si dominus Bernardi uel discipulus Aristotelis uel Iacobi uicinus appellatur, nam et Petrus ad filium, in quantum pater; et Bernardus ad dominum, in quantum seruus; et Iacobus ad uicinum, in quantum uicinus; et Aristoteles ad discipulum, in quantum magister, referuntur. (4) Deinde Alexander de his quae per se ad aliquid relatiue dicuntur, ut species generis et genus speciei, exempla subiicit. Haec enim correlatiua sunt, unum enim sine altero esse non possunt. Idem si *filius*

patris uel *seruus domini* diceretur. Omnis enim illi genitui ex ui relationis gubernantur. Ideo *Doctrinale* in genitui dicit regimine (8, 1.170-71):

«Adde relatiuum, sunt dupla quaterna duorum

Sic speciem generis dic atque genus speciei».

(5) Vt autem haec materia clarius habeatur, sic potest exponi: sciendum duplum et dimidium relatiua esse, modo si duplum pro quattuor et dimidium pro duobus ponatur; quattuor dupla duorum sunt et tunc hae dictiones *quattuor* et *duo* res horum relatiuorum dupliciter, scilicet et dimidium esse dicuntur. Ita quod quattuor res dupli, duo uero dimidii reputentur. Ergo quando dicitur *sunt dupla quaterna duorum*, dictio relatiua, scilicet dupla genitiuum dicentem, rem alterius relatiui, scilicet duorum, quae dicuntur esse res alterius relatiui, regit. (6) Sic et exemplum dari potest, quo unum relatiuum regit alterius relatiui genitiuum, ut species generis, species enim nisi per respectum ad genus et genus nisi speciei respectu esse non potest. Nec dominus nisi seruus habeatur nec seruus nisi dominum nec pater nisi filium nec filius nisi patrem nec uicinus nisi uicinus potest appellari. Et ita de similibus censeatur. Ex hac quidem regula intellectu *Doctrinalis* in illa regula *Adde relatiuum* plene declaratum habes.

[2] 31^a. Relatiua logicalia sunt duplicia, quaedam secundum esse, quaedam secundum dici. Secundum esse sunt quae prius relationem seu rem praesenti ad aliquid et conuenienter re alterius praesenti dicunt, ut *paternitas*, *filiatio*, *dominium*, *seruitus*, *amicicia*, *uicinitas*. Haec enim prius respectum dicunt ad aliquid conuenienter res, ubi huiusmodi fundatur respectus, ut *Petrus* uel *Ioannes*. (2) Relatiua uero secundum dici sunt quae prius rem alterius praesenti conuenienter relationem dicunt, ut *dispositio* et *habitus* et econtra, et *disciplina* respectu doctrinae, ut et *scientia* respectu ignorantiae, et econuerso in praeterito relationis poni possunt. Nam et omnes res nulli relatiue, saltem secundum dici, possunt haberi. Habito nanque respectu ad causam se creatorem, in quantum effectus quidam, et res creatae sunt a deo, relatiue dici possunt, ut et deus in quantum omnium causa et creator suorum effectuum et rerum creatarum causa.

[3] 32. Relatiua logicalia etiam consideratione alia duplicia dici possunt: haec uera et illa non uera. Vera sunt quae meram relationem dicunt, ita ut sine intellectu illius ad quod referantur intelligi uel proferri non possint, et horum tres sunt species, ut in 29^a regula dictum est. Non uera sunt quae non relationem ipsam, sed rem seu relationis substantiam notant, ut *pater Ioannis materque Iesu*. Hic enim *Ioannes* et *Iesus* non relationem meram, sed res seu substantia relationis important, puta in quantum sunt filii. Et ita relatiua duplicem dependentiam modumque includunt, scilicet relationem quandam per quam relatiua dicuntur ut *paternitas*, *filiatio*, *equiparantia*. (2) Deinde rem quandam in qua fundantur, et esse habent. Ex quibus consequens est dicere ipsa duplicem constructionem habere. Nam cum genitui sui relatiui possunt construi, ut *pater filii* et econtra, uel cum re sui relatiui ut *pater Ioannis*, *Ioannes* enim res filii ipsius patris esse possunt, cum *filius* ualeat appellari, et hoc econuerso locum non habet. (3) Idcirco in *Doctrinali* duplex assignatur exemplum: unum prout relatiuum cum re sui relatiui construitur, ut *dupla quaterna duorum*, id est quaterna sunt dupla duorum, *duplum* nanque supponit pro *quattuor*, quia duplum rei duplicatae duplum est, et sic duplum relatiuum erit, sed duorum res relatiui sui uel duplicatae rei, scilicet dimidii uel rei duplicatae esse censetur. Ideo duplum duorum regit. Idem si *pater Ioannis Petrique* dicatur. (4) Alterum est exemplum, ut relatiuum sui relatiui genitiuum regat, et hoc fieri potest econuerso, ut *pater filii* uel *filius patris*, uel species generis uel genus speciei, et ita de ceteris est tenendum. Harum quattuor regularum materiam Aristotelis Petrique Hispani in horum praesentis capitulo. Ad aliquid seu de relatione et *Doctrinalis* in genitui regimine, in lectione *artificii regimen*, in fine dilucide et multo plenius declaratam reperies. Hic breuiter per regularum modum tetigisse sufficiat.

[4] 33^a regula materiam partiuorum seu distributuorum perstringere incipiens dari potest: quod nomen partitiuum, quod et distributiuum appellatur, est id quod a duobus uel amplioribus ad singulos uel a pluribus ad plures per pares numeros distributos relationem habent. Per hanc diffinitionem tres species partiuorum potes colligere: per id quod dicitur a duobus ad singulos relationem habet, partitiua inter duos, ut *alter*, *uter*, *alteruter*, *uterque*, *neuter* et *ambo* tanguntur. (2) Per amplioribus ad singulos, partitiua multorum, ut *omnis*, *quilibet*, *quisque*, *unusquisque*, *cunctus*, *quidam*, *ullus*, *quisquam*, *ceteri* et *reliquus* ueniunt. Per a pluribus ad plures per pares numeros distributos partitiua inter partes aequales distribuentia, ut *pluri*, *bini*, *terni*, *quaterni*, *quini*, *seni* et similia colliguntur. Haec enim proprie singulari carent, nam cum dicitur *bini ueniat*, de pluribus per aequales partes diuisi dicitur, quia quattuor in duas partes aequales sunt diuisi. Et ita dicas de ceteris.

[5] 34. Eorum quae partitua sunt, quaedam distributua duorum ut unius sunt, ut *alter, uter, alteruter*, nam si dicatur *alter currit*, sensus est quod unus tantum currat. Altera sunt distributua duorum ut duorum, ut *uterque, neuter*, nam si dixeris *uterque legit*, datur intelligi quod ambo legant.

[6] 35. *Omnis, quilibet, quisque, unusquisque, cunctus* cum uerbo unico proferri possunt, ut *omnis homo est rationalis, quilibet modestus diu uiuit*; sed *quicumque, quisquis, quantuscunque, qualiscunque* duobus uerbis egent: *quicumque bene uiuit uitam iocundam*. Hic et alibi consequenter uimque relatiui et antecedentis uniuersalis habent, unde sic exponi debent: *omnis homo uel omnis ille, qui bene uiuit uitam iocundam*, et cetera. De hoc supra, libro 4^o, regula 94 et 96 et 104, plene dico.

[7] 36. Partitiuorum quaedam sub certitudine prorsus distribuunt, quia finitas partes ad sum totum, ut *alter, uter, alteruter, uterque, neuter*. Haec enim inter res certi numeri, quia inter duo distribuunt, ut *alter illorum, uter* uel *alteruter, uterque, neuter istorum* dicitur de duobus. Quaedam, quasi sub certitudine partiuntur, ut *quidam, aliquis, quisquam, quispiam, ullus, quilibet, quisque, quicumque, quisquis* et similia. Et horum utraque cum genituo ex ui partitionis construuntur. Alia prorsus sub incertitudine et infinitate quadam distributua sunt, ut *omnis, cunctus*, et hoc cum genituo partituae nullatenus construuntur.

[8] 37. Partitiuorum quaedam solummodo diuidunt, et hoc dupliciter: uel partium determinatarum respectu, ut *alter, uter, alteruter*; uel indeterminatarum, ut *quidam, aliquis, ullus*. Quae diuidunt simul et colligunt, et hoc quoque dupliciter: aut quo ad determinatas partes, ut *uterque, neuter*; aut quo ad indeterminatas, ut *unusquisque, quisque, quicumque, omnis* et similia. Quae uero diuidunt simul et colligunt se dupliciter habere possunt. Quaedam partes suas conferunt simulque accipiunt, ut *uterque illorum uenit*, hic partes sub quadam ueniendi simultatae sunt acceptae. Quaedam uero non conferunt, ut *bini, terni, quaterni, quini*.

[9] 38. Inter *unus* et *ullus* haec dari potest differentia: *unus* enim absolute comparatiueque stare potest, et ita cum nominatio genituoque coniungi, ut *unus homo omnes alios saluauit*, id est Chrsitus, et *unus horum* uel *illorum fecit*. *Vllus* autem comparatiue tantum, et sic ad aliquid, id est in comparatione ad aliud esse putatur, et ex omnium numero infinito pendet. *Vllus* enim omnium debet intelligi, cunctique numeri ad hoc referri possunt, ut Priscianus libro primo minoris, § *Et praeterea*, uersiculo *Inter aliquis et ullus* ait. (2) Itaque secundum Robertum cum genituo tantum construitur, quippe cum ad hoc forte sit inuentum, ut constructionem faciat partitiuam, ut *ullus horum* uel *illorum* uel *omnium*. De *unus* supra, libro 4^o, regula 8, usque ad 27, in qua de *ullus* usque ad 30 regulam inclusiue pertracto.

[10] 39^a. Natura propria huius signi uniuersalis *omnis* secundum primaueam inuentionem est, ut potissimum distribuatur et ut terminus communis de pluribus praedicare aptus efficiat praedicatum de unoquoque particulari per ipsum *omnis* signum uniuersale dici, ut *omnis homo est animal*. Et iuxta *Doctrinalis* sententiam *omnis* proprie sumptum distributuae collectiueque tenetur, ut *omnis homo currit*, sed improprie sine distributione colligit, ut *omnes apostoli sunt XII*, et *omnis homo nauem trahit*, et *omnis mulier in partu timet*.

[11] 40^a regula. In his orationibus *o uos omnes, qui transitis per uiam, uenite*, et *o tu aliquis ueniat*, et *o quicumque cupis*, haec nomina distributua nominatiui casus sunt, nam uocatiuum habere non possunt, et ideo *uos* et *tu* uocatiui casus erunt, et *audire* et *audi* debent subintelligi, uel secundum *Catholicon*, a regimine absolute poni, et in *o quicumque cupis, tu audi* simul uel *tu* solum absolute sumptum est subintelligendum. Et per suppletionem huius pronominis *tu* in nominatio singulari uel plurali haec nomina partitua, uocatiui praecedentis auxilio ad personam tertiam deuocantur. De his duabus regulis postremis supra, libro III^o, regula VI et VII (3, 41, 5-6), plene dixi, licet ibi in quantum haec nomina distributua uocatiuis carent, et ut per se et in propria natura pensantur; hic ut in constructione ponuntur.

[12] 41^a. *Quaecunque ista* non bene dicitur sed *quaecunque istorum*, nam *quaecunque* confusionem importat, *ista* uero certitudinem, et sic esset ibi repugnantia.

[13] 42. *Alter istius* et *illius* dici non debet, sed *alter utrorum*, nam in constructione partitua totum sub una forma et uno termino importetur oportet. Itaque cum *istius* et *illius* hoc modo non ueniant, illa non est admittenda constructio.

LXXV. De numeralibus et ordinalibus.

[1] Numerus est ex unitatibus aggregata multitudo. Nomen autem numerale est quo fieri potest numeratio. Nominum uero numeralium secundum *Deriuatorem* quattuor sunt species, nam quaedam sunt cardinalia, ut *unus, duo, tres* similiaque. Et dicuntur cardinalia quia numeri sunt principium et in his

numerus, ut in cardine hostium uoluitur. Alia sunt partitua, ut *alter, uter, alteruter, uterque, neuter, quilibet, quicumque, quisquis, singuli, bini, terni, quaterni, quini, seni*, et sic de ceteris debet dici. (2) Et hae tres omnes cum genitio partitue contruuntur, quod de quarta specie, in qua sunt ponderalia, ut *duplus, triplus*, sub quibus plicatiua compraenduntur, ut *duplex, triplex* dici nequit. Haec enim cum genitio non partitue sed relatiue construuntur, ut supra, in 30^a regula fuit declaratum.

[2] 44^a regula ex XI posterioribus illata praedictis potest assignari, quod nomina partitua seu distributiua, sub certitudine uel quasi et numeralia et ordinalia cum genitio ex ui partitionis construuntur. De partitiuis sit exemplum *alter, uter, alteruter, uterque, neuter, quilibet, quiuis, quicumque illorum* uel *istorum*. De numeralibus, ut *unus, duo, tres eorum*. De ordinalibus, ut *primus, secundus, tertius eorum*. (2) Diximus autem sub certitudine uel quasi propter distributiua sub incertitudine uel infinitate prorsus, et *omnis* et *cunctus* magis collectione quam dictionem inducunt. Quod diximus numeralia et ordinalia, concreta seu in concrectione, ut *unus, duo, tres*, intelligimus. Abstracta nanque seu in abstractione, ut *unitas, binitas*, genitui regimen ex ui partitionis non admittunt. Causa uero per quam nomina partitua, numeralia et ordinalia, cum genitio in plurali construuntur, esse potest, quia partis ad totum dispositionem dicunt. (3) Haec autem dispositio nihil aliud est quam ad suum totum dependentia, quam regimen potissimum respicit. Quibus de rebus totum partitua regunt. Cum autem totum naturam plurium partium habeat, recte in plurali debet poni. Deinde partes ad totum in distributionis uia, ut ad principium et in ratione principii comparantur. Ideo casum dicentem principium, qui genitiuus est, exposcunt. Vnde notandum est quod pars et totum dupliciter considerari possunt: uno modo in constructionis uiam, et sic pars totius est principium; secundo in dictionis solutionisque respectum, et ita principium partium totum est. (4) Cum autem in constructione partitua pars et totum in resolutionis ratione pensantur, et sic totum partis est incium, merito nomen partituum regit significantem totum. Hoc autem *omnis* facere non potest. Nullus enim dicit *omnis hominum*. Et causa est quod *omnis* distributiuum cum genitio constructum aliqua certitudinem sub dictione inter partes debet ponere, ut cum, duobus demonstratis, *alter illorum* dicitur, sed *omnis* et similia non certitudinem, sed collectionem et incertitudinem posuerunt. Harum XII regularum ultimarum confirmationem in *Doctrinali* capitulo, II, in lectione *Quae quaerunt, quae distribuunt*, et capitulo VIII^o, in genitui regimine, ubi cum partitiuis numerum seriemque locabis (8, 1.173).

«Quilibet alter, uter, neuter, duo, quartus eorum»,
eiusque commentatoribus utrobique reperimus.